STYLUS LIGATUS

Venerabilibus Servis DEI

ALEXANDRO PATAVINO

BENEDICTO BUŁACOVSCIO

ET

CYPRIANO GOZDECCIO

Primis Introductoribus

Strictioris Obſervantiæ

Inſtituti S. P. FRANCISCI

in Poloniam

Heroicè ac perenniter

OBLIGATUS

LITATUSquè

à

Patre Baſilio Malinowski, Reformato Polono
Seraphici Ordinis.

Annô

quô

DIVInI VerbI CarnIsqVe LIgaMen
In aLVo VIrgInIs eVenIens noſtræ
fUIt UnIo VItæ.

id eſt

1 7 5 9.

RAVICII, Typis Joh. Joſephi Hunoldt Catholici.

Qui timet Dominum, honorat Parentes, & quasi Dominis serviet his, qui se genuerunt.

Eccles. 3.

Gloria Filiorum Patres eorum.

Proverb. 17.

Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt Nomen narrandi laudes eorum.

Eccles. 44.

Laudabuntur Omnes recti Corde.

Psal. 63.

Sapientiam Ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia.

Eccles. 44.

Mutuam vicem reddere Parentibus; hoc enim acceptum est coram DEo.

1. ad Timoth. 5.

Parentum Magnalia in quatuor Ordinibus lapidum erant sculptæ.

Sapient. 18.

SPLENDIDISSIMO
Universi Orbis
S I D E R I
Ortû Lusitano, Occasû PATAVINO,
Semper tamen orienti, & nunquam occidenti in Cordibus Hominum.
Binorum Parentum
AUGUSTINI ac FRANCISCI
Uni Filio
augustè & strictè Regulari,
simulq; Gloriæ utriusquè PATRIARCHÆ
Cohæredi.
DIVINO THEOLOGO
vera ubiq; Omnibus & Singulis
de ÆTERNA VERITATE
loquto.
APOSTOLICO terrarum DOCTORI
à
Summis Pontificibus & Regibus
RECOGNITO.
Ponderoso Malitiæ Hæreseon Malleo
Concutienti duritiam animorum,
IPSI INCONCUSSO.
ARCÆ NOVI TESTAMENTI
Deauratæ aurô mundissimô
Cælestium Donorum intùs & foris.

ADMIRABILI rerum perditarum INVENTORI,
ob Franciscanam inopiam
INVENTO NIHIL HABENTI
& cuncta à mortalibus amissa possidenti.
THAUMATURGO QUOTIDIANO,
Quotidie eò magìs stupendo,
quò
efficaciùs in dies venerando.
MARTYRI
corde ac animô Heroico
citra exterius cruoris Stillicidium.
PRIMO
In Ordine Seraphico Sacrarum Litterarum
INTERPRETI
ac Studiorum PRÆFECTO
mediis efficacibûs rem concludenti & ad ultimum
Finem præstantiâ doctrinæ assiduò
COLLIMANTI.
INCARNATÆ SAPIENTIÆ
BAJULO
& cum jubilo summas bajulanti
ad libandumq; Discipulis
Proponenti Scientias.
PRÆCONI
Sacrorum Dogmatum
Coram non viventibus, Animatis, & Intel-
lectivis Entibus,

ac

ac suas vel vitæ, vel assertionis
Veræ Fidei, vel Donorum Spiritualium animas
Singulis
INFUNDENTI.
DISERTISSIMO
Protinus post Obitum
Pro congrua Divis Apotheosi
Integrâ Linguâ prodigiisq; Clarissimâ
ORATORI,
ac
SANCTO intra annum decessûs è vivis
à
SEDE APOSTOLICA
solemniter
PROCLAMATO.
Tonanti pietate Operum, & intonanti Gratia-
rum hymnos, in solatia cunctarum
gentium.
ANTONIO SACERRIMO
Id Opusculum unà secum
Dedicat Auctor Minorum Minimus.

APO-

APOTELESMA

CLIENTALE.

Inter centum ſexaginta & unam Provincias, ac quinquè Cuſtodias Seraphicas, Univerſum implentes Orbem, Totumq; ex Obſervantibus, & Reformatis, nunc dum hæc exaro, conſtituentes Ordinem, Parentem gubernio Miniſtri Generalis, octo Provincias comperio, quæ à Tuo Prodigioſo Nomine ac præſidio ANTONI DIVINISSIME veraciter Antonianæ ſunt, quatuor in Transalpinis regionibus, nimirum in Luſitania, in Braſilia, in Arthesia, & in plaga Charcarum Contemplor; In hac quoq; Cismontana Familia, binas Venetas, Lycienſem, & Noſtram Poloniæ Majoris, lætus nanciſcor: Illas omnes Portentîs, Gratiîs, Virtutibûs, & Meritîs Tuis, ac in eis integram mundi molem illuſtrari, nemo eſt qui ambigat. Quantùm ſis Ulyſſiponenſibus, Patavinis, & cunctis terrarum Municipibus Venerationi ac ſtupori! non mea tenuiſſima id nititur explanare penna, verùm hæc duntaxat inſignia opera conatur attingere, quæ Domeſtica Polona Tuo Subpedanea Cultui admiratur Provincia.

Varſaviense noſtrum primitùs mihi occurrit Cænobium, quod ſicut Principale nuncupatur ab erecta per Maſoviæ Principes Urbe, ſedeq; Lechicorum Regum, ita eſt Principium Gloriæ Tui ut pote ſui Tutelaris Localis, collaudatq; in Te DEum Optimum Patratorem ſequentium Signorum.

MICHAEL KORYBUT DUX IN WISNIOWIEC ſub tempus auditi ad Tuum Altare Sacri, modicam carpens ſomni quietem, Te Suum Coronatorem in Regem Sarmatarum ſenſit, ubi ante ipſum diſceſſum ad Campum Electoralem, ter Diadema mediante Angelo Capiti ſuo imponi vidit, ſicq; quod clam contigiſſe, id palam eveniſſe expertus eſt, ac Somnium, in Evidens omnium proſperitatum indicium transfigurari cognovit.

SCYTHA PRINCIPIS TARTARIÆ LEGATUS AD ULADISLAUM IV. non minùs animoſi quam pretioſi quadrupedis jacturam paſſus, urgente Orthodoxorum conſiliô ac Saluberrimo Actualis Guardiani ſensû, lectæ ad Tuam Aram Miſſæ Devotus aderat, & has cum gemitu ingeminabat Voces, Antoni Charum & Carum mihi redde ſonipedem, mox recedente á Divinis Presbytero, dum receſſit poſt Januam ſepulchreti, ad mænia Clauſtri Attonitus reperit amiſſum Equum præſtolantem ſeſſoris Adventum, & qui tenebras infidelitatis toleravit, ad lumen veræ fidei gratus beneficii properavit: Felix profectò damni reſtitutio, aſt felicior ab æterna damnatione liberatio, & gratiæ ſupernæ inventio ſucceſſit Pænitenti ſuamq; hæreſim ejuranti Scythæ.

ISABELLA DE OSSOLINSKIE LUBOMIRSKA Secundi in Regno Senatoris Palatini Cracovienſis

ensis Consors, verè secundam & Bellutam se confessa est, postquam enim Tibi Inclyto Confessori tenerrimum voverat Cultum pro revocando à lethali ægritudine ad pristinam sospitatem Nato Suo Josepho, illicò hunc, quem ab Æsculapiis & Pæonibus hujus sæculi decisum jam infallibiliter extingvendum cum pressura Cordis auscultavit, Te medente sanctiore Hippocrate, perfectæ lucis usurâ fruentem gestiens conspexit.

BINA EX TRANSVISTULANO OPPIDO Praga nuncupato Mulier, ad eadem hospita tecta in urbe, celeri festinabat passû, ad quæ ex Discalceatorum Carmelitarum æde gradiebatur, quidam assecla sublatâ furtim pecuniâ emptum in stabulo visurus equum, judicans verò Exploratricem esse hac de causâ utramq; fæminam, quia se demonstrari fuste cujusdam Religiosi comitantis easdem advertit, formidine pressus ad nostrum coufugit Claustrum; pallor & tremor vix erepta restituit verba, ubi verò suum explanavit delictum, conspectum in ara Thaumaturgum cum ploratu testatus est fuisse eundem Ipsum Religiosum, qui illum mulieribus indigitabat, protinusq; per sacram Exemolegesim expiata culpa, illata in solidum resarcivit damna mediantibûs nostris Patribûs, ac demum sub specie inopis Mendici ex cænobio expeditus mediâ nocte, feliciter suas arripuit vias.

ALEXANDER MIKLASZEWSKI Tribunus Terræ Sochaczeviensis, bino aureô coruscis & distinctis adamantibûs intextô privatus annulô, invocato Tuo Patavinum columen auxiliô, cum Auctore damni flagitium confitente ac veniam poscente in suburbio dicto Leszno perniciem lucratus est, ac totum Religiosum cætum sicut fecit cum gaudio Spectatorem reparati exitii, ita Conglorificatorem Mirabilis in sancto suo DEi facillimè reperit.

SIMONIS ARMENI CONJUNX exortum in lateritiis postibus funestum incendium, extrema minitans radicitùs dispendia, cadente in constantem virum perculsa metu, Tuas gestans in sinu Consumentem Ignem DEum Hominem Seraphine, ferventer imploravit suppetias, & protinus cum adminiculo paucæ Manus populatrices sedavit flammas.

JOANNES INCOLA ET MERCATOR Civitatis antiquæ Varsaviæ, Æquum agens Licitatorem equi, à præstigiosis infascinatus Cingaris, torvô invidiæ oculô ad emptionem illius obicem ponentibûs, dum justo eundem capessivisset pretiô, ac ex montanis ad ima pergens, in reciproco cum obtenta re extitisset periculo, jamq; Exitialis in præcipitio imminuisset amborum lapsus Tuâ Robustissime Milo humanis annuens precibus dexterâ suffultus, non modò à ruina verum etiam à dolorifera artuum collisione immunis evasit.

Quodsi lynceam immersero pupillam Primæ Majoris Poloniæ Majorumq; Fronti Urbi Posnaniæ, (quam Minoriticum nostrum ex vicino colle respicit & colit ascetErium) etiam ibidem Tuum fidis-

fidiſſimum intuebor tutamen. Tangit non minus bene quàm benignè meam interiorem palpebram JOANNES ULATOWSKI SUBDAPIFER TERRÆ DOBRZYNENSIS, qui in Szrodenſibus Comitiis cum Boni Publici utilitatem quæreret, peſſimum adinvenit nuntium de perditis in ſuo pago hæreditario Skorzewo mille ducentis aureis, & ponderis præcipui Argenteis Ornamentis: finitôq; lectiſſimæ Duorum Palatinatuum Nobilitatis conſiliô, minimè conſternatus ad propria regrediens, in Templo noſtrate Poſnanienſi ſacris ad Tuam Iconem celebratis Devotus interfuit tum perſonaliter tum mediante Famulitiô ſuo per hebdomadem, quâ elabente Miniſtrantes Domino, hæſerunt ancipites de indicatione Prædonis, interim auſcultatîs priùs tribus Miſſis, ac emiſſis ad Te Protector Diviniſſime piis poſtulatîs, ex noſtro Sacrario, ad Sancta Patrum Carmelitarum Limina gratîs Corporis Chriſti inſignita profecti ſunt, mox ecce rapax abactor nec notus, nec noſcens incedentes aulicos, ſtat obvius à longè ſtupens, præcepsq; dat vela retrorſum, & ſe indagandi cauſam offert Speculatoribus: Deprehenſus inter Sacros Carmeli penates absq; ulla tergiverſatione aperit oppoſitas Septimo Decalogi præcepto noxas, ac ſciſcitantibus repentinæ fugæ rationem Aulicis reponit ſibì horridum fuiſſe geſtû & alloquiô Veſtri quendam Seraphicæ Reformationis Alumnum, dextram ille tenebat in ſocietate itineris, aſt me ſiniſtro terrore circumdedit: Tibi igitur Tutelari ſpecialiſſimo ſolutîs gratibûs lætus de receptione diſpendii Dominus, obtento præ-

prævia Aſſecuratione Ereptori clementiam exhibuit, viales contulit, ſvasû hortatuq; Medicinali non defuit; verùm is nihilô melior factus, pro crimine injuriæ illatæ noviter Alteri Dynaſtæ, eâdem luce captivatus, ſententiatus, in gabalo infami ceſſit Alitibus in obſonium, fuderat ante obitum queſtus contra primum Donatorem vitæ, quòd non luerit Poſnaniæ ſui latrocinii mulctam, nam maluiſſet ibidem in lateritio ſuspendi patibulo, quàm in funeſta arbore pago contermina; ſed futilis eſt querela furis, ſi enim Gratioſi Ioannis favore ùt murato propugnaculô munitus, rapinâ frangì ſe permiſit, ligneosq; rurſum confregit poſtes, etiam juſtè in fatali trabe interiit: Sic caret eventû peſſima præda bonô.

EMPORETICÆ QUOQUE HUJUS REGNI CIVITATES TORUNIUM ET GEDANUM delectantur non poſtremo Antoniani patrocinii mercimoniô. Objcitur lumini mentis Paulus olim Celebris Municeps Torunenſis, Syndicus Subſtitutus noſtri Cænobii Torunô Podgorienſis, qui agens Itinerarium, Argentei crateris detrimentum tulit, ſignata greſſibûs quadrupedum Veſtigia ad proprios retorquens lares, piæ auditioni ſacri navavit operam, noſtriq; Thaumaturgi ſolatium enixè popoſcit; verùm non redeunte jacturâ, ad effundendas coram Effigie Antonii cum ſtabili fiducia regrediens preces, elapſis aliquot diebûs eundem repetiit callem damniq; terminum: en genoroſiores equos vix dimidiam ab urbe leucam emenſos Moderator eorum attonitus enervari conſpicit, Herumq; ſuum ubi de inſo-

inſolito exhauſtu roboris ſonipedum certiorem reddit, lætiſſimum in medio publici tramitis, amisſi poculi Inventorem advertit. Ita perſeverantia in ſpe, proſperam traxit ſortem.

MULIER INCOLATUS TORUNENSIS, hæreticiq; dogmatis amans, tabifico jam interimenda languore, creditur à Claris in arte Machaonia Podaliriis: aſt præcipuâ Orthodoxi Prælati ſuaſione impulsa, ad implorandum Divi Antonii juvamen, ſimulq; pollicita viſere aram ejus in Templo noſtro Podgorienſi, illicò ex infeſto recreata eſt contagiô, demum ſponſionem explevit, perennemq; Cæleſtis Galeni memoriam ac cultum ſuo impreſſit animo.

PRIMO SACRO RORATE NUNCUPATO in Gedanenſibus Dominicanæ Familiæ ſacratis arcibus ocyter decantandô, ſalsô ſtillabant rore Oculi Patris Æditui; qui ubi & Majorem, & Minorem à latere Aram Sancti Antonii, argenteo inſigni decore exutam fuiſſe mærens intuitus eſt, repentè ſuo Priori Cætûsq; Præſidi nefandam indicat jacturam, ac eundem reperit fluentium lacrymarum teſtem: Proconſul civitatis enixè rogatus Urbana jubet obſtrui veſtibula, nec tamdiu reſerari, donec impius deprehendatur prædator, is dum fere ternâ luce manentibûs clauſis poſtibûs, immolatisq; DEo in Eccleſia Patrum Dominicanorum ad Iconem Thaumaturgi pluribus hoſtiis incruentis, penitus non animadvertitur, Unus ex gremio illorum præſtans Theologus Nicolaus nomine in comitatu Alumni ejusdem Inſtitutii, noſtrum Stolcembergo-Gedanenſe ingreditur clauſtrum, & fit ſpecialis Cultor Prodigioſi Tutelaris loci, ſimulq; poscit, ut omnes quotquot ſunt reſidui ſacriferi, ſanctas offerant Victimas ad Altare Divi Antonii pretiô repetendorum avulſorum: expletis juxta poſtulantis mentem piis Myſteriis, ad proprium remigrat ille feſtinus cænobium; propinquante diluculô alterius diei Presbyter Æditaus Dominicani Templi, intendens conſueta metodô lares illius recludere, totum ablatum in ara Thaumaturgi repoſitum (ſolô latente & prorſus ignoto Latore exiſtente) conſpicit argentum: poſtridie Dominicani bini in noſtra æde prociduas Mirabili Inventori litavêre gratias pro capeſſito diſtinctiſſimo favore palamq; confeſſi ſunt Noſtratem Antiquiorem Divum Antonium Meliorem eſſe, quàm ſuum Recentiorem.

NEGOTIATOR HISPANUS per mediterraneum æquor ad Balticum ſe conferens, dominante turbida procellâ ventorumq; rabie, jamq; contiguis aliquot naufragantibus Claſſibûs, ſupplex efflagitavit auxiliatricem Dexteram Patratoris ſignorum, ac vovit auditionem ſacri ante ipſius effigiem, Confeſſionem noxarum, ſumptionemq; devotam Sanctæ Synaxis; ſexies iteratas ad Divum Indigetem perficiens litanias, fauſtus diſcrimina pelagi ſuperavit, Dantiſcanis demum tactis mænibus, debitum voti in Noſtro Venerabili Adyto exquiſitè incunctanterq; exſolvit.

INCOLA NOSTRATIS ASCETERII GEDANENSIS, Seraphicæq; Reformationis Alumnus quidam Clericus, finitô communi prandiô, menſæ

mensæ Refectorii assidens, erumpente ultra spem ex ignivomo ære foris exploso in pectore trajectus globô, non modò fatiferam, at nec minimam retulit cladem.

HEBRÆUS DANTISCANI SUBURBII INHABITATOR copioso Spoliatus linô, suadentibus Christi Cælitumq; Cultoribûs, nostros, plorans suumq; dispendium deplorans tetigit penates, pronusq; postulavit lectionem gemini sacri ante Imaginem Thaumaturgi, utrumq; postquam poplite flexo consulentibus nostris Patribûs auscultavit, protinus solatium reportavit, nam exspirantibûs paucis hebdomadibûs, erepta totaliter consequtus est carbasa.

COMMORANTEM GEDANI, GALLIARUM EQUITEM suiq; Regis Internuntium, famulus ejus pretiosis privavit vestibûs, & disparuit, commendatus Vigilantissimo Excubitori Sancto Antonio, post aliquot dies ad nostrum se recepit claustrum, & cum reverentiali metu Patri Danieli easdem, quas abstulit, restituit chlamydes, moxq; præintentum aggressus est iter: Sacriola Nostras, reddita sibi alacriter retulit Hero vestimenta, quem miri gratum reperit beneficii, & obstrictum gratitudine sacro cætui.

Non revoco in memoriam ea Antonianæ Gratiæ Argumenta, quorum sitæ etiam in Oppidis Regni hujus reminiscuntur inopes Domus nostræ, nusquam enim abundè Calamus attingere valet, tum functorum Cadaverum Suscitationes, tum juridicorum monimentorum, & inæstimabilium Clenodiorum, ac Corporum Animatorum in publicis triviis inventiones, tum deniq; à periculo evidentis Submersionis liberationes satis est me has laudationis Tuæ guttulas, scintillas, & atomos Tibi Oceano, Igni, ac Olympo adjunxisse ANTONI SACERRIME: Satis est Tua Diffundentia per orbem immarcescibilis gloriæ Odorem floridissima Lilia me candidè venerari, illaq; & Te Violam humilitatis, Rosam Sanctimoniæ, supereminenter Ornantem Florem Nazarenum DEUM HOMINEM cultû latriæ adorare; Placuit olim Puero Duodenni Christo inter Classicos Præceptores medium tenuisse, ac Illorum Auditorem & Sciscitatorem fuisse, est quoq; jucundum Ei in Tuo Doctorali consistere Volumine, unde apertè constat Te in discendo & docendo assiduò habuisse Assistricem Incarnatam Sapientiam; non dedigneris igitur cum Eadem huic Nostræ Reformatæ Provinciæ adstare, quæ potiori jure Tua est, ut pote intuitû præstitæ per Te ab Ævo tutelæ, incomparabilibûs Tibi devincta titulîs, Illam ortus Patavii Introductor Franciscanæ Strictioris Observantiæ in Poloniam Pater Alexander, meritò Sacravit Tuo Honori, insinuavit patrocinio, mancipavit Cultui, suosq; cunctos Imitatores subdidit immorituræ venerationi Tuæ. Octo literas in hoc ethymo ANTONIUS contines Tutelaris Divinissime, Singulasq; beatitudines in singulis, quocirca octo Provinciæ totius Ordinis, tuô specialiter beantur præsidiô, nostra Octava est, utinam Summa Virtutum & compendium laudationum Tuarum fiat: Protege Ipsam efficaciter meq; simul

ſimul indigniſſimum Clientem, *Te* non duntaxat alâ molli, verùm etiam tenerrimo corde ac ore Colentem, qui ex iſto portentoſo programmate *ANTONIUS* exigua naſcentia Anagrammata pura ad lyricum reveho carmen.

PRIMUM AN NOTIUS
NOTIUS Nomen valet *AN* micare
Quàm Tuum florens probitate Dive
Gratiis mirîs operumq; fructû
Note creatis.

SECUNDUM NATO NISU
Maximo *NISU* dare vis juvamen
Supplici *NATO* genitæq; Primi
Patris, ac inquis *NATO*, promptus adſum,
Erigo preſſos.

TERTIUM NON VITAS
Sancte morali & phyſicâ peremptos
Morte *NON VITAS*, faciens redire
Ad duas *VITAS* duplici ſopore
Corda ſepulta.

QUARTUM VI NOTANS
Ad poli limen precis & favoris
VI NOTANS junctos Tibi mente ſervos,
Nomen Illorum, Superûm venuſto
Inſeris albo.

QUINTUM TONAS UNI
Dum *TONAS UNI* Domino Supremo
Voce pro nobis, tonitru tremendum,
Fulgur ignitum, procul & vibrata
Fulmina pelle.

CEN-

CENSURA
Theologorum Ordinis.

Libellum qui inſcribitur: STYLUS LIGATUS VENERABILIBUS SERVIS DEI Alexandro Patavino, Benedicto Bułakowscio, & Cypriano Gozdeccio Primis Introductoribus Strictioris Obſervantiæ Inſtituti S. P. Franciſci in Poloniam &c. &c. elucubratum ab Admodum Rndo Patre Fratre Baſilio Malinowſki, Reformato Polono Seraphici Ordinis, Ex-Miniſtro Provinciali Provinciæ in Majori Polonia, Sacræ Theologiæ Lectore. Ex mandato A.R.P. Aloyſii Płachecki Miniſtri Provincialis Sup: Col: diligenti, & attentô animô legimus, & nihil in eo Orthodoxæ Fidei ac bonis moribus diſſonum advertimus. Imò cum ſit dilucido Stylô ornatus, ac gratitudinem Primis Fundatoribus Seraphicæ Reformationis in hoc Regno conteſtans, Spiritumq; S. Patriarchæ & Priorum Patrum Poſteris inſpirans, proinde tam perutilem laborem in dicto

opere

opere contentum, dignum judicamus, ut compareat in Luce publica coram hominibus, qui videant opera Patrum Noſtrorum, & glorificent Patrem Æternum, ſi Iis quoq; ita videbitur, ad Quos pertinet. Datum in Conventu Ravicenſi ad S. Antonium, Anno Domini 1758. Die 30. Novembris.

Fr. DIONYSIUS SYDRY, Reform: Ex - Diffinitor Provinciæ Sacræ Theol. Lector. mp.

Fr. ANTONIUS KOCINSKI, Reform: Ex - Miniſter Provincialis, Sacræ Theol: Lector. mp.

FACUL-

FACULTAS ORDINIS.

Frater CLEMENS à Panormo Lector Jubilatus Catholicæ Majeſtatis in Regali congreſſu Matritenſi pro Immaculata Conceptione Theologus, Totius Ordinis S.P.N. Franciſci Miniſter Generalis, Commiſſarius Viſitator, Reformator Apoſtolicus & Servus.

Cum à Duobus Patribus Theologis reviſum & approbatum fuerit opus inſcriptum: STYLUS LIGATUS à Rndo Patre Baſilio Malinowſki Noſtræ Reformatæ Provinciæ Poloniæ Majoris Lectore Theologo, ac Ex - Miniſtro compoſitum, eidem facultatem concedimus, ut ipſum, ſervatis ſervandis Typis mandare poſſit. Datum Romæ ex Ara Cæli Die 6 Januarii 1759.

Fr. CLEMENS de PANORMO, Miniſter Generalis. mp.

(L.S.) *De Mandato Rmi in Chriſto Patris Fr. HIERONYMUS à Franca Villa Secret: Genrlis Ordinis.*

FACUL-

FACULTAS DIÆCESANA.

Librum cui Titulus: STYLUS LIGATUS &c. Venerabilibus Servis DEI Alexandro Patavino &c. Primis Introductoribus Strictioris Obſervantiæ Inſtituti S. P. Franciſci in Poloniam, elaboratum ab Admodum Rndo Patre Fratre Baſilio Malinowski Reformato Polono diligenter legi, nihilq; in eodem opuſculo contra Fidem Orthodoxam adverti, ideoq; ut Typis mandetur facultatem permitto. Datum in Academia Posnanienſi Die 7ma Menſis Decembris 1758.

M. ANTONIUS BOJARSKI, S. Theol. Doctor & Profeſſor, Eccleſiarum Cathedralis Posnanienſis Canonicus, Parochialium Smiecicenſis & Zrębicenſis, Præpoſitus, Librorum per Diæceſim Posnan: Synodalis Cenſor, Accademiæ Rector. mp.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Pater Alexander Patavinus ſive Padvanus, primò Clericus Diaconus Congregationis Patrum Theatinorum, deinde Mediolanenſis Reformationis Alumnus, vir inſignium meritorum; à Cardinali Varallo tunc Ordinis Protectore cum Brevi Apoſtolico Gregorii XV. in Poloniam expeditus ob Reformationis dilatationem, multa adverſa in itinere perpeſſus eſt ab Hæreticis.

LIBER PRIMUS.

Dicite mortales, quâ ſitis ſorte Beati?
Inter mille viæ vitæq; pericula quænam
Dulciſonô votô vobis fortuna miniſtret?
Si lætos à ſole dies conſtanter habetis?
A Luna & ſtellis capitis ſi tempora pacis?
Num fauſtas horas ſemper numeratis? & annos

Caſibus

Caſibus adverſis nulliq; ſubeſſe ruinæ
An ſcitis? narrate mihi; ſed quærere fruſtra
Cenſeo me ex vobis, quos reſpondere paratos
Sic puto: tu expertus totum tibi ſolve Viator.
Et bene ſentitis, nam rerum magna Magiſtra
Me docet & cunctas probat experientia cauſas,
Novi multorum discrimina certa virorum,
Surrexiſſe aliquos, cecidiſſeq; ſorte cadente,
Arriſiſſe illis fortunam, his mæſta tuliſſe
Fracturam patiente rotâ documenta doloris.
Hi vix non ſolium rutilans in ſole locabant,
Purpurei fuerant, roſeus dum Phæbus oriri
Cæperat, in medio cum ſtabat, ſumma tenebant
Lumina lætitiæ, ſublimeq; culmen honoris,
Aurea viſa mihi lux proſperitatis eorum
Jucundo vultû veneranda, colenda, ſtupenda;
Aſt quando occiderat Titan, totum occidit illud
Quod mentem ac faciem recreans ſplendore mi-
cabat.
Succeſſit ſoli ſtellis circumdata Luna
Hanc ego credideram ſic incrementa daturam
Fortunæ melioris ei, qui creſcere curat,
Ut queat in pleno ſortis ſubſiſtere centro,
Sed poſt creſcentem decreſcens venit, & ecce
Extenuata nimis rerum ſpes ampla remanſit!
Nec fixæ ſtellæ fixa radiare repertæ
Luce, quibus noctis vehemens irrepſerat error.
Attonitus ſteteram perpendens quanta ſit orbis
Terraquei æthereiq; ſimul mutatio, in iſtis
Objectis viſûs, auditûs, mentis, & oris!
Ac dixi exclamans cum vociferante leone,

O! miſeras hominum ſortes cum fine ſiniſtro,
Auſpicium dextrum crudelia fata ſeqvuntur,
Quod medium fauſtum eſt, hoc exitiale videtur,
Siſtit in extremis anni felicis origo,
Divitiæ quô fonte fluunt, merguntur eodem,
Non unus nunc alta tenet, nunc infima tangit,
Principium menſis menſurâ claudit iniquâ
Nec manet optatâ certus de luce dierum
Cum ſe nube premi ſentit, complectitur umbras,
Et reputans noctare diem mærore repletur.
Aſt hæc fortunæ concluſio creditur eſſe,
Lætitiam modicam, magnos cauſare dolores,
Poſt breve ridendi prolixa relinquere flendi
Tempora, gaudentiq; ſuam præfigere metam
Ludit & illudit nolens ſervitia firma
Vertibili præſtare rotâ, fædifraga ſemper;
Aurea ab aurora quandoq; revertitur hora
En mox cardo rei totusq; invertitur ordo.
Funditus inverſi praxim perſpexerat orbis,
Nil mundo commune gerens, quia mundus ab ipſo
Tam procul exiterat, quantum à mundo ipſe re-
ceſſit,
Immundi vitans connubia ſæculi, Amator
Innocuæ vitæ, ſcribi candore volebat
In numero Fratrum dictorum à Patre Minorum
Franciſco, grandi pietate Minora Sequto,
Incola Padvanus cæleſti Flamine ſpirans,
Flos Electorum, docilis fax grata juventæ.
Vota DEo comitante ſua amplis paſſibûs ingens
Et Sanctum perfecit iter veniendoq; COMUM
Comiter exceptus, ſcriptusq; ſalutis in albo,

Nomen Alexandri ſortitus ab ordine ſacro:
Magnis magna viris imponi nomina debent,
Pro fide qui magnum & pro Religione laborem,
Pro ſuperis, templis, aris altiſſima quæquè,
Moliri ſatagunt, hoc planta novella, novusq;
Miles monſtrabat præſagâ mente futurum.
COMUM civili ſub lege perennat ab ævo
Mediolanenſis pars non poſtrema Ducatûs
Sanctorum domibûs comptis, ſed Regis eorum
In cruce Regnantis majori luce refulget,
Prodigioſus enim Chriſtus crucifixus, ibidem
Vel cæcis ſpectanda oculis miracula patrat.
Hoc unum narrare placet de milite quodam,
Militiam veræ fidei nec caſtra colente
Salvandi populi cordata mente fidelis;
Is ne ſolennis Proceſſio fiat in urbe,
Stante Parasceves Domini per ſæcula cultû,
Peſſimus Aſtuti proceſſit Dæmonis arte,
Extenſis cupiens greſſus retinere catenis.
Aſt orthodoxi dum libertate fruuntur
Cælitibus propriâ, Divinum Numen adorant
Nuper in innocuo crudelia corpore paſſum,
Mancipium ſathanæ vincunt, & vincula rumpunt:
Quid juvat Hæreſeon Proles te partus iniqvus?
Si generas crimen, gignis Tibi Tartara ſæva,
Si vis compedibûs motus cohibere Beatos,
Mox nodîs conſtricta tuis immota manebis;
Eſt nullo præcluſa modô via, vita, Redemptor,
Hoc Duce ſunt tuti calles gradientibus omnes,
Ejus Alexander veſtigia cæpit amæno
Progrediens paſsû, ſtadium virtutis adeptus.
Verùm

Verùm ineunda patent Tyroni prælia multa,
Trinus ab adverſo diriſſimus excubat hoſtis,
Non durum ſed molle caro proponit amandum,
Mundus ùt immundus vult eſſe im̃unda ſequenda,
Incola flammigeri quid pejus conſulit orci
Nam demiſſa jubet contemnere, celſa tenere
Quantus Alexander fueras, quantusq; ſub aſtris
Reſplendebis, habens naturæ munera pulchra,
Te candor vultûs, commendat gratia lingvæ,
Reddit & ingenii clarum ſubtilis acumen,
Quod later intus, erit toti mirabile terræ,
Squallida quâ tegeris veſtis ſi contrahit umbram,
Aſpera ſi ſecum non proſpera ducit, opacus
Et miſer exiſtes, dextræ reminiſcere ſortis,
Sic inimica trias ſumit primordia pugnæ,
Blandimenta ferens, volucres ſic allicit auceps,
Atq; feras ſylvæ mulcet Venator, ut illis
Magnô intenta animô ſint præda laboris amici.
At dum ſuave genus certaminis extat inane,
Fortiùs inſurgunt crudis ſermonibûs Hoſtes;
Quæ tua votorum conſtantia reſpice dicunt?
Gens Thienæa ſuum Cajetanum nacta Patronum
Et Patrem cleri celebris, tu fædus initum
Illi fregiſti, data juramenta relinquens,
Nonnè Bonus Proviſor erat tibi cælica donans
Verus Apoſtolicæ vitæ Cajetanus Amator?
Ipſe tuus nonus vitæ & trigeſimus annus,
Ac Evangelicus codex ſacri ordinis index,
Cum cingentè ſtola, Levitica membra, patenter
Demonſtrat debere ſtatum te ſtringere primum:
Si charum Patrem Cajetanum deſeris, ergo
Vix

Vix Franciſcus erit melior Patriarcha Paterq;
Propter Te Fili Ducis Almi ingrate prioris.
Sed quid Alexander triplicis fert Hoſtis ad aures?
Auſcultare libet, dignamq; notare loquelam,
Sum Padvanus ego, mea Patria Padva decorô
Cinxit Doctoris Cajetani tempora ſertô,
Laurea tanta viri Sancti Sapientis adauget,
Non minuit tenerum reſerati cordis amorem:
Vita Reformati cætûs quò ſtrictior eſt, hòc
Me majore Patri pietate obſtringit utriq;,
Jam Theatinus eram, Seraphinus fio, docebat
Ornatus miris Antonius actibûs, urbis
Padvanæ genuinus honos, exempla tenere:
Huîc Auguſtini dedit albam Regula veſtem,
Cum Lateranenſis gremii jubar eſſet ab ortu,
Atra mihi ceſſit Cajetani in pignus amicum.
Si Thâumaturgus Franciſci ſigna ſequtus
Eſt procul à noxa, nec me ſcelus afficit ullum.
Horto Religio ſimilis, quæ praxis in iſto,
Hæc in ea vivit, dum floſculus arbor, & herba
Unius alteriusq; loci plantatur in imo,
Terra cuiq; ſua eſt, ſed diſpar fructus habetur,
Nunc meliora patent, quæ deteriora fuêre,
Jam ſelectus odor, dulcedo, decorq; ſaporq;
Grandior arridet, qui non arriſerat ante.
Cælum terrenum, cultiſſima vinea Chriſti,
Sunt homines varii ſemota in clauſtra recepti;
Nec tamen unus ineſt ſplendor cæleſtibus aſtris,
Nec ſimili gaudent fæcundæ germine vites,
Floris Alexander ſtellæ, tum vitis imago.
Affigi cælo cupit uni vineæ & horto,

Diſſi-

Diſſimilis tantùm vult eſſe nitoris, odoris
Et formæ, roſeas Cajetanica lilia mutans
In ſpinas Divi Franciſci ſangvine tinctas.
Urbs Venetorum ſtatuum VINCENTIA clara,
(Quam victrice manû Mater Divina triumphans
Protegit, atq; ſuis ſervis in monte ſtupendas
Suppetias præſtat, ſummis celeberrima geſtis)
Victorem mundi Cajetanum fecit oriri;
Ejus Alexander palmis applaudere curans,
Aſſiſiate Duce evincente trophæa reportat,
At ſeſe victurus inops armatur acuto
Contemptû propriæ mentis, Modoætia quippe
(Unde fuit dictus protunc Pater Angelus almi
Mediolanenſis Fratrum gregis Optimus arte
Cuſtos, & Paſtor docto moderamine pollens)
Juſſerat in modico de ſe perſiſtere ſenſu,
Cuncta humili tractare modô, ſentire modeſte!
HincTyro ingenuus domiturus monſtra gehennæ,
Naturæ dotes & dona videre recuſat,
Improbus, indoctus, piger, ut videatur anhelat,
Eloquii ac morum fieri deſiderat expers.
Sed magis elucet probitas occulta, probanda
Iudiciô gravium ſcrutante arcana virorum,
Notus & in tenebris adamas, in pectore conchæ
Clauſa ſuo pretiô puriſſima Gemma ſuperbit:
Novit Alexandri virtutes Ordo Minorum,
Sciverat Inſtructor, quâ polleat indole multos
Diſcipulos ſuperans, diſcendo piiſſima promptè.
Nondum poſt annum ſolennia vota profeſſus,
Inventus dignus jam presbyterandus ad aras,
Mox profitendo ſtetit meritô clamante Sacerdos.

Et

Et ſacer eminuit devotè ſancta gerendo.
Angelicum totum neomyſtam crede fuiſſe,
Quisquis divinis infigis Lumina rebus,
Inſons ille patet cryſtallo pulchrior ipsâ,
Præſefert pectus teneris affectibûs ardens
Erga cælorum Dominum, mirabilis agnum
Velleris, inſolitâ pinguedine, nectare plenum,
Inde cibum potumq; trahit conviva Beatus:
Velatum geſtans animato corpore verbum,
Illius in vivos internè effuſus amores,
Os petit exteriùs zeloſa in verba reſolvi.
O DEus exiguis ſignis occulte ſub iſtis
Majeſtate Potens, immenſe, timende tremende,
Qui tranſis ſvavem noſtris animabus in escam,
Spirituale meis alimentum faucibus infer.
Ut nutritus eô paſcam à Te corda redemptæ
Gentis, huîc panem vitæ præbere neceſſe:
Me fore Presbyterum non ſufficit absq; docendo,
Sacrificâſſe parum eſt, ac Sacramenta dediſſe,
Ni ſermone meo multis oblatio fiam.
Vix ea complevit, ſubitò elucere diſertus
Cæperat Orator Cathedrîs plaudentibus illi,
Roſtra videbantur ſecum pugnare volendo
Altâ voce ſimul tanti gaudere Magiſtri;
Sed major populi pendentis ab ore tonantis
Concionatoris fuerat conflictus ab extra,
Nunc hic, nunc alter ſubſellia prima tenere
Ad latus illius cætus poſcebat, & omnes
Conveniente ſibi geſtû dixêre loqutum
Doctrinam dederat fons rerum Paſſio Chriſti
Cujus Alexander rubicundas hauſerat undas,

Et cunctos CUVII cives potavit eisdem,
Sic ùt in hæc fuerint erumpere verba coacti;
Paſtorum ſplendor, cleri Caput, inclyte Præſul
En comenſis adeſt Tua Tota Diæceſis, ergò
Supplicibus precibus demiſſisq; annue votis,
Ut noſtra in Patria creſcat magìs ordo Minorum
Eſto Philippe Pater fias Archinte Patronus
Hujus Alexandri, Macedonia nomen utrumq;
Noverat, is dignus nova tecta capeſſere templi,
Conventusq; ſui nam poſtulat amplior auges
Divini cultûs, ac noſtræ publica terræ
Utilitas, propriamq; Operarius ipſe coronam.
Pontificis permota volunt præcordia vocem
Ad fuſas reſonare preces conformiter, unde
Præſtitus aſſenſus Fundator origine primus
Pro domibus Fratrum, rem claudit fine ſecundo.
Incola ſuggeſtus CUVIENSI clarus in æde
Impoſuit lapidem fixæ telluris abyſſo,
Structuræ molem cupiens aſcendere ſurſum,
Et prope præfatum Cuvium ſtans Accium adeptus,
Auxiliante ſibi larga Bonitate piorum
Ædificavit opus ſtabili laudabile cultû,
Interea juſsû Prælati vadit in urbem
Arcta Reformatæ peragenda negotia gentis
Commendata ferens, qui terminus eſſet eorum?
Ignorans, ſperans tamen efflorescere dextrum,
Nec deerant ſua vota ſpei felicia, nam vix
Intulerat greſſus Romanis arcibus, ecce
Cauſa ſiniſtrorſum minimè deflectere ſcivit.
Hic caret obliquô, qui recto calle tueri
Jura ſolet, librando gravem æqualance ſequelam

Legitimi finis, facilis victoria partis
Oppositæ dabitur, si vera probata patebunt:
Justitiæ quamvis cæcæ respectus in insons
Demissum reverensq; DEum cor semper habetur.
Talis Alexander comparuit ante Tribunal
Patrum Cardineo tinctorum murice, qualem
Exhibuit vitæ probitas, prudentia pinxit
Ac celeri passû grandes evincere causas
Fecerat; his unam de non mediocribus esse
Contigit adnexam, cum Virgo Beata Maria
Fluminis oppiduli Dongi voluisset adauctô
Pernoviter Fratres situandos crescere cultû,
Et minùs ore potens, plùs scriptô tela vibraret
Humani sacriq; simul trux hostis honoris,
Elevat ùt flumen vocem Chrysostomus alter
Noster Alexander certans pro flumine Matris,
Explicat id pennâ, quod planta novella requirit,
Adversos ictus fluidô sermone retundit,
Fit celebris victor, solennia Festa Minores
Proclamant, captô decisi limine fundi.
Applaudit reduci Mater custodia nato
Obsequii, meriti, virtutis grata reponit
Præmia, quæ potuit conferrè sequentia justum:
Jam Præses clari protunc examinis extat,
Qui gradibûs digni pateant scrutando profundè;
Jam caravagii carissima Pignora Fratres.
Cum blando zeli, pietatis, amore gubernat
Ut Bernardino domus illa sacrata senensi,
Mellifluo similem Bernardo senserit annum:
Jam majora petunt subjici cænobia tanto
Patri res cunctas sanctè, sapienter agenti,
Medio

Mediolanensis Princeps Conventus anhelat
Hoc Rectore frui, titulô clemente Benignus
A Genua dictus nuper Generalis id ipsum
Censuit expediens, ut præsit Fratribus illic.
Est locus insignis, pulchri dulcisq; Vireti
Nomen habens, millena ferens solatia magnæ
Urbi Millano propter probitatis odorem,
Hortus conclusus Nazareni floris origo
Illibata Parens Christi, Purissima Virgo
Præcipuum candore suo decus ædibus addit:
Patritii cives devotîs mentibûs istum
Consvevêre locum complecti, vernat ibidem
Strictior & verax Francisci Regula vitæ;
Hujus Gîardini bino Præfectus in anno
Noster Alexander per multa exempla reliquit.
Fulcrum cujusvis dominantis junctus amori
Est timor illorum qui subsunt, forte ligamen
Hæc duo prætendunt, namsi dissolvat amorem
Continuus grandisq; timor, si fulmen ab ore,
Fulgur ab aspectu, stridensq; ex dente tonitru
Sæpè cadat, si palma minas, frons horrida capros
Parturiat, dabitur regnantem causa timendi;
At si flexibilis, mollis, tractabilis ex se
Cordis erit Præses, blandè nimis omnibus adstans,
Totius hunc cætûs dilectio magna sequetur,
Sed tamen imprudens directio sola patebit:
In medio charus, rigidusq; timendus, amandus,
Stabat Alexander, felix illi alea cedens,
Fratribus imperium gratum verèq; trienne
Fecerat, & Virgam fructus generâsse fragrantes.
Audit Purpureus Pater unus & ordinis Almus
Pro-

Protector variâ lucens virtute VARALLUS
Præclarum meritîs & dexteritate regendi
Ad majora virum genitum ſicq; inquit in urbe:
Nunquid Alexander tantùm natale videbit
Italiæ Limen? qui reſpiciendus ab oris
Eſſe poteſt aliis, illum volitare neceſſe
Ultra decurrens undis ſpumantibûs æquor,
Non capit hanc Aquilam nidus Lombardicus, unde
Externos ſoles ſubtili lumine tangat:
En fidei, cleri Devota Polonia cultrix,
Obſervante olim Franciſci claſſica cætû,
Læta Reformatis vult eſſe Minoribûs aucta.
Maxime Pontificum Petrina in ſede Gregori
Et deni & quinti tituli ſplendore coruſcans,
Fac ut Alexandrum lechicus ſeptemtrio cernat:
Qui nunc Angelicæ LUGANI clauſtra Mariæ
Incolit, Officioq; Vicarius eminet ingens
Ipſe Tuas portare vices Pater optime poſſet.
Approbat eloquium prudens ſublime Varalli
Papa Boni melioris amans, Breve præcipit illi
Laudato ſignare viro, quô fultus adire
Arva Polona queat, plantareq; germen honoris
Fructibus Alvernæ montis par culmine laudis.
Pontificis ſummi mandata graviſſima quamvis
Suscipit ex animo, leve pondus judicat eſſe,
Id quod ferre jubet ſanctæ veneratio ſedis;
Maturum cenſere caput ſic fortè putares,
Hoc Breve longa trahit ſecum diſcrimina vitæ,
Ignotum peragrare ſolum, gentesq; videre
Nusquam ſpectatas, Patriamq; relinquere charam,
Nec remeare ſuas ad terras aſpera crux eſt.
Sed

Sed mox deciperis, qui ſic ſentire videris,
Promptus Alexander per diſſita pergere regna,
Non diſtante loco non arduitate viarum
Non amittenda propriæ dulcedine terræ
Retrahitur qui cuncta ſimul mundana removit,
Sprevit, calcavit, robuſto corde negavit.
Conſiliô ſocios verbisq; ſalutis adaptans,
Mediolanenſis migremus ab ubere Matris
Audacter fatur, cujus memorabile Nomen,
Gloria, fama, decus noſtro reviresceт in ore,
Nos DEus elegit non nobis vivere ſolis,
Nonq; ipſis tantùm vitâ ſervire probatâ,
Aſt aliis exempla dare eſt opus omnibus unum;
Sit ſæcunda Parens pronunc cuſtodia noſtra,
Parturienda feret per nos huîc Filia laudem.
Attoniti Fratres ſolvunt ſic verba Magiſtri
Magne Pater quocunq; petes, Te corde ſequemur;
Sermo Tuus vivax animos accendit ad omnem
Perfecti ſummiq; gradum ſubſternere noſtrum
Velle Tuo mandat, Judex æquiſſimus eſto
Arbitrii & ſenſûs cuncti, lætiſſimus audit
Conſona Alexander ſociorum effata ſuorum,
Jamq; volens tanti ſuperare pericula curſûs,
Ingeminat voces Martini Antiſtitis illas,
Si populo DEus Alme Tuo me ferre neceſſe eſt
Utile ſubſidium, non ergo recuſo laborem:
Auguſti formoſa dies vigeſima quinta
Gallorum Regi Ludovico ſacra, receſsûs
Mediolanenſi nitidæ de limine Matris
Sis mihi principium felix, eludere confer
Exitiale malum, fauſti cadat alea lûsus,
Ut

Ut gradiens operer, discamq; impendere vires,
Ac operis pondus forti gestare lacertô.
Ecce DEo tribuente modos & robur eundi
Currit, festinat, properat, quò viscera perflans
Spiritus impellit Divinus & omne serenum
Pandit iter, Veneta patent Confinia, quæ mox
Italicasq; simul montosas transvolat urbes:
Ni pede Camporum scopulos tetigisset, eundem
Pennigerum nubiq; parem fortasse vocares.
En Tyrolensis Comitatûs tecta subintrat
Oenipontinam selecta gente micantem
Metropolim cernendo, caput demissus adorat
Archiducem clarum Leopoldum, quem Austria florens
Regnantem coluit voluitq; videre perennem:
Is Leo pollebat morum splendore polari,
Agnus Alexander faciem dum conspicit ejus,
In teneros flectit cor paupertatis amores,
Obtinet & cymbas & grata cibaria vitæ,
Ac se cum sociis dicat undis Fluminis Oeni,
Verior Æneas ferturq; faventibus auris:
In medium scinduntur aquæ, succedit amica
Unio cum portu, dant remi & vela propinquum
Danubii littus, capiturq; optata vienna.
HæcGermanorumPrinceps urbs amplaPenatum
Cæsareâ passim celeberrima sede per orbem
Hospitibus jucunda fuit, quò lumina vertunt,
Divitias Hominum, pretiosa palatia cernunt:
Fulgor opum templis inerat decor atq; suprema
Majestas, Clerique sacri numerosa Potestas.
Sed non permisit pedibûs vincenda morari
Mora-

Moraviæ Tellus, frumenti, graminis, herbæ,
Arborei fructûs, ac vini germine lucens:
Gens opulenta manens hôc fonte virente salutis.
In multis caruit, quòd plurima dogmata veræ
Respuerit fidei, strictè conjuncta Luthero
Calvinoq; Simul, qui tanquam Principis orci
Pessima Progenies stellas errore nefando
In partes traxère suas, minitando fideli
Perniciem populo, finitum criminis unum
Ævum nuper erat noxarum sæcula complens
Turba malis imbuta, ferox effecta, cruentô
Militibus Christi bello nocuisse solebat
Pugna gravis sequitur, patientia fortis habenda.
O quot Alexander sociis stipatus amicis
Sustinuisti hostes irâ rabieq; furentes,
Exploratorem te dixerat iste fuisse,
Ille vagum, vitæ pertæsum valde prioris,
Propria fingebat non publica quærere lucra:
Pejores alii blasphemi motibûs oris
Aggrediebantur Te blande, modestè viator,
Credis purgantes animas, purgaberis ipse,
Est Tibi Papa caput, capitalis pæna super te,
Si cultum sanctis tribuis, spectabimus utrum
Auxilium Tibi dulce dabunt adversa ferenti?
Te tua libertas non Christi gratia cogit
Ad tantos cursus, sta Libertine, voluntas
Dona nequit virtute suâ removere superna.
Sic oppugnatur, patitur, patiendo dolore
Scinditur interiùs, cor scissum vulnera sentit,
Auris in auditô sceleris clangore præusta
Obruitur, sensusq; omnes languore premuntur,
Totus

Totus Alexander vix non exſpirat ad ictus.
Veſanæ vultû, diræ ſermone cohortis,
Os animum pulſat, commotaq; viſcera zelum
Exercere jubent, blaterantis peſſima dicta
Lingvæ argumentis validis compeſcere mandant,
Ac pugnare armîs temeros reprimentibûs auſus.
Sed bona directrix rerum prudentia dictat
Latrantes vitare canes non tundere ſaxô,
Saxeus eſt illis & petrâ durior ipsâ
Spiritus, eloquiô molli vix flectitur unquam:
Ferrea Mens Pharaonis erat, nec Moyſis acutus
Malleus hanc fregit, rupes Hebræa voluntas
A Stephano minimè poterat jaculante moveri;
Marmoreas animas, adamantina pectora rarò
Cæleſtis medicina juvat, malè peſſima gleba
Optima donantis capit intus ſemina dextræ:
Vidit Alexander finem certaminis orti
Absq; ſua fore ſorte, tamen non membra timori,
Non animum metui mortis ceſſiſſe volebat,
Scivit in extinctam poſt funera vivere famam,
Scivit & intrepidus ſtabat, vos invoco dicens
Ætherei cives precibûs meritisq; potentes,
Cultrix Supremi Regis Lectiſſime cætus
Telluri, Cælo, pelago jus dantis, amici,
Inſignes Operum vi & dexteritate Miniſtri
Suppetias præſtate mihi, ſit ſuave cataſtîs
Fuſtibûs, & nodis, alapîs, rigidisq; catenis
Torqueri, ſquallore premi, funeſta Subire
Agmina Martyrii latronum morte perire:
Aſt magne Alcides, hydras proſternere debes,
Non cædes (ſervande ſolo) tolerare ferales,

En Turonenſis Præſul ſua verba relata
Ore tuo retinens tibi ſit Tutiſſima Turris
Contra verſutum proprii quoq; Nominis hoſtem,
Ac ejus ſobolem Viventem Marte gehennæ:
Ajo ego promptus agit, jam firma mente peregit
Noſter Alexander totum quod juſſit agendum
Ipſe DEus. Primus Dux, Arbiter, Auctor agendi
Nimirum ſævos reſoluto corde dolores
Flammigerosq; rogos animô domitare virili.
Sunt intra pectus patientis vincula, carcer,
Horrida crux, colaphi, capitalia verbera, ſtipes,
Angores quatiunt cerebrum, contundit & oſſa
Pro fide, lege DEI zelus, vehementer adurit.
Credite mortales, immania ſuſtinet ille,
Qui rate Martyrii fertur ſine ſangvinis unda:
Hoc genus atrocis belli, peregrinus & hoſpes
Cum ſociis expertus erat, peregrèq; profectus;
Nam Ductrix, Motrix, Adjutrix Gratia cæli
Velle ſalutiferum perfecerat omine Sancti
Eventûs rerum, meriti documenta creabat
Libertate gradi ſalvâ remanente volentis,
Et violenta ſibi diſcrimina corde prementis.

ARGUMENTUM.

Idem Pater Alexander repertô in Superiori Silesia Glivicensi Cænobio jam Seraphicæ Reformationi affixo, sub gubernio Patris Benedicti Bułacovscii, tum eodem Patre, tum Patre Cypriano Gozdeccio Comitantibûs ingreditur Cracoviam, plantandæ in Polonia Strictioris Observantiæ Opus, Regi, & illis, quibus de jure insinuaturus.

LIBER SECUNDUS.

Hæreseon gliscens vitium Silesia passa
Gliviciumq; simul non infima portio terræ
Castelli titulô gaudens, glomeramine fætûs
Glebarum, nemorum, pratorum, & fructibus horti
Elucens, Pomona suos extollere partus
Conspicitur, tum Flora, ceres, deprædicat augem
Germinis effusi; Vicina Polonia gratâ.
Aure capit genuina suæ documenta loquelæ,
Inter Municipes edentes voce liquata.
Sarmaticum verisq; placens idioma Boemis:
Moravus, Jllyricus, tenet hoc & Dalmata, Russus,
Quos paucarum, usû poteris distinguere vocum,
Dissi-

Dissimilemq; modum dicendi adscribere cunctis
Una tamen communis eis substantia lingvæ.
Anna loci Glivicensis Heram Hæredemq; gerebat,
Fortunam de Trach celebris Comitissa trahebat,
Et comitem blando gressû sua vota sequentem
Admirans experta fuit; fugiebat Opacus
A laribus mæror, ridentia tempora visum est
Horas atquè dies Dominæ numerare beatas.
Sed quia gratuitum dedit ipsi gratia nomen,
Hanc tangi dextrâ clemente decebat Olympi
Ac terræ Regis, qui dum castigat amatos,
Se præbet Patrem gremialis amoris eisdem.
Sic Annam mulctando gravi languore, fidelem
Dilectam charamq; sibi patuisse volebat:
Ipsa diuturni cruciatur pondere morbi,
Lassatur corpus, vires franguntur & artus
Lethali facies pallore cadaver adæquat,
Vena gelu sentit privata calore cruoris,
Insomnes noctes febrilis conficit æstus,
Nil juvat antidotum, medicorum cura gementi
Est sine spe vitæ: fors nexum mentis & ossis
Disrumpet Libitina ferox: ast parcite. Parcæ
Munificæ in Superos Annæ, nunc illa soporem
Ecstaticum capiat, molliq; quiete fruatur
Specto si prosunt Ægrotæ somnia, si mors
Tranquillo somno propulsa recedet, & ecce
Evigilat, meliore die recreata revelat
Id quod constrictis percepit sensibûs intus:
Hospitibus reserata novis post grande viarum
Curriculum fessis, sancti Vestigia Patris
Francisci ingressis, civilia limina plaudunt;

Oppi-

Oppiduli portam servi lustrate, Minores
Fratres huc veniant humano more petendi;
Quos ego Majores medicos habitura, videbo
Me fato ereptam totoq; in corpore sanam.
  Obsequiô celeres mandata volentis adimplent,
Janua castelli castos inopesq; Forenses
Patres facturos reducem de limine mortis
Ad vitam demonstrat Heram, ducuntur ad illam
Cum Sociis ætate senes, probitateq; cani,
Unus Strzałkovius Nomen sublime Joannis
Et Bonaventuræ gestabat Turscius alter,
Sed quis aget munus Galeni? pharmaca quænam
Offeret infirmæ? Spectare licebit utrumq;:
Primus si meritò selecta sagitta vocatur
Si micat indigetis rutilante favore favebit
Annæ felicî curâ configet acerbos
Ictus crudelis fati, sic credite factum:
Nam vix intulerat sua membra penatibus aulæ,
Imposuitq; manus Dominæ, sanata repente.
  Quantus Apostolici medicaminis exitus adsit!
Religiosa Viri sancti manus edocet amplè,
Arte per Hyppocratem tacta est Arteria, nullum
Ægra bonum sensit, tetigit caput ipse Sacerdos,
Illicò convaluit; succedit vera voluptas,
Et jocus & plausus totas descendit in ædes:
Lætantur Famuli, gaudens Hera, grata vigoris
Obtenti, Patribus sua tecta domestica donat;
Tendentesq; ultra in Patriam dimittere non vult;
  Cives incolumis comitissæ velle seqvuntur,
(Quos orthodoxæ fidei dilectio movit
Prodigiumq; recens) Fratres remanere Polonos
Enixè

Enixè poscunt; ast Ternæ in luce diei
Extinxit Febris clarum virtute Joannem,
A cruce dictus erat, crucis hunc Ecclesia sumpsit
In requiem sanctam fletû lacrymisq; notatam,
Et quoniam Primi possederat ossa Parentis,
Fratribus orbatis illô, fons, nidus origo
Planta Reformati cætus comptissima facta est.
  Mox operante manu,cælisq; dicente,quod æquum,
Conventus steterat Pauperrimus,æva decem & sex,
Atquè novem protunc annos numeraverat orbis,
A miro Christi Partu de Virgine Matre;
Dum nova Glivicii, Francisci ex ordine vitis
Palmitibus teneris generandis congrua fulsit.
  Advolat huc ales, sed non alensis alauda
Noster Alexander, verùm inclyta Gloria Padvæ,
Italicas conducit aves Modulamine suavi
Hoc est Presbyteros ex ordine matre quaternos,
Ac denas & sex volucres remeare volentes
Ad Patrium lechiæ nidum, non una fovebat
Illas per multas Messes Provincia Fratrum:
Currebat post sæclâ decem jam septimum in ortu
Annorum spatium viginti unius habendo,
Dux totidem Fratrum sine torque trahente, quot
anni,
Factus Alexander, felicior esto secunda
Octobri de mense dies, quâ limina claustri
Glivicíensis adit gratissimus intimus Hospes.
  Hac in luce colit missos ab origine vitæ
Custodes Hominum, Supremi Numinis Aulæ
Aligeros cives, portantes jussa tonantis:
Unde magis festiva sonant solatia cætûs,

Cujus

Cujus Rector erat Benedictus nomine grandis,
Grandior ast ideo, quia Bułakowſcius alto
Sangvine Majorum radiabat in axe Polono;
Is pridem obtutû venturi Patris anhelans
Solicitum relevare caput, ceû luminis ortu
Mæroris tenebras ſuppreſſit mente ſerena:
Humanus vultus, frons exporrecta patebat,
Exhilarans viſus, facundæ gratia lingvæ,
Inceſſus, geſtus, membrorum, motus, apertum
Pectus, vivaci candore modeſtia clarens,
Totaq; ſpirabant roſei penetralia cordis,
Indicium mentis ſinceræ & Pignus amoris.
Cernit Alexander, facies quas denotat horas?
Et mediæ ſentit tempus ſplendere diei,
Viſcera, ſcrutatur, vehemente ſtupore repletur,
Commoda dum ſpectat ſibi tanta faceſſere mirum
Intenſa Bonitate virum, oblitusq; gravantis
Oſſa viæ, fruitur tribuente quiete levamen.
Religio dulcis requies, Paradiſus amænus,
Eſt animæ Cælum terrenum Cellula, Majus
Arridet Sydus, communis Regula vitæ:
Hoc virtutis opus, morum ſublime lycæum.
Diſcit Alexander, quid debeat indice lecto
Sex ſupra ternam decadem concludere Fratrum?
Occurrit primus Benedictus, & ultimus ipſi,
In ſerie ſacri gremii contentus, & inquit
Felix Augurium, Benedictio larga ſequetur
Per nos intenti fontem finemq; laboris.
Sic ſpes credentes ſe Nautas æquoris undis,
Efficit auſpicio curſusq; coronide fauſtos,
Qui tamen in medio neptuni, marmore preſſi
Adver-

Adverſas retulêre vices, ſic Prælia Martis
Non infanda putat Bellator robore pugnax,
Quæ diras inter cauſas inventa, ſecundo
Limite conflictus moti primordia claudunt.
Conductis Sociis inter ſacra tecta relictis
Aſſumit binos una probitate repletos
Doctrinaq; viros, quos una Polonia Mater
Edidit inlucem proprio comptiſſima partû,
Stat Benedictus, adeſt Cyprianus ad omne paratus
Patris Alexandri Mandatum, hæc litera triplex
Juncta ſimul perfecta dabit tutamina cauſæ,
Eventusq; Bonus prima remeabit ab Alpha:
Compita plana terunt, trivium tres poplite tangunt,
Calleq; contrito ſiſtunt in colle vavelo,
Applaudente die, celebri pietate duciſſæ
Hedvigi viva ac diva virtute vigenti
Quam ſuperum faſtis inſertam, Principe cultû
Patronam Lechia & Sileſia Tota coronat.
Sæcula poſt Chriſtum ſeptena recenſuit orbis
Quando Cracus patulo ſelectus ab Agmine Præſes,
Miris in ſolio cæpit clareſcere geſtis;
Quodq; Palatini regnando patrare nequibant,
Hoc ipſe æquivalens duodenis Regibus egit,
Nam ſibi conjunctos nexu præſtante Polonos
Ad Patrium Martem ſtimulans, ſtridentibus armis
Audaces fregit Gallos, cantareq; fecit
Væ mærore tonans, nec non lacrymabile carmen:
Sic palmâ Victrice potens, extendit ad urbes
Condendas operam validis dedit arcibus ortum;
A Graco fabricata ſuum laudabile nomen
Urbibus Europæ primis Cracovia compar
Obti-

Obtinet; & Gnesnæ ſuccedens maxima Regni
Metropolis genita eſt, hanc menſurabilis amplâ
Famâ non cubitô ſtabilivit Locticus, ut ſit
Alma coronatrix Regum, Reſpublica legem
Porrectam venerans, conſtanter ad usquè tuetur.
Mox ubi conſpectû civilia mænia tangit,
Templaq; perluſtrat ſplendore decore, coruſca
Hoſpes Alexander, ſtructuram ex germine Craci,
Judicat alterius Romæ debere micare
Coccineo titulô, non Fratris ſangvine tinctam:
Illic in ſummis Cathedralibus ædibus, orbis
Portentum, Sydus Paſtorum, Gemma Polonæ
Gentis, Purpureus Martyr ſtillante cruore
Stanislaus adeſt cum ſanctô corpore Præſul
Stipatus Regum Exuviis à parte ſepultis,
Illic de Chriſti Diademate ſpina, ſacrato
Portio de ligno ſpectabilis, atquè trabalis
Clavus, qui penitus transfixit membra ſalutis;
Papa Jagelloni Regi Martinus eundem
Obtulit, ac auxit pretioſa monilia templi.
Illic Mirificæ JEſu Genitricis Imago
Fulget in antiqui carmeli limine caſto,
Dictus arena locus campum demonſtrat honoris,
Continuamq; parit ſortem mortalibus ægris;
Illic Dominici Patriarchæ candida Proles,
Eminet Ivonis præclari Antiſtitis urnâ,
Inquè ſuo Divas Hyacintho flore virente
Divitias veneratur, amat Lipnica Beatum
Simonem civem proprium, colit illius intus
Fraternos Artus Obſervans Ordo Minorum.
Grandis Academi Collegia Trina videre,

Claſ-

Claſſes, Gymnaſii Cathedras, Doctosq; Magiſtros
Hoſpitibus placuit, visû digniſſima cenſent;
Diva Parens cunctis Prælatæ Virginis Anna,
In tellure ſua complectitur oſſa Joannis
Olim Doctoris Sancti pia juſta docentis,
Qui Stanislai dilectus natus & Annæ,
Oppiduli Kętii Roſa, Cantius inde vocatus,
Prodigii, Studii, morum dulcedine fragrat.
Illic & Socios JEſu ſpectare licebat,
Terna Domus lucet Perfectis Patribûs, una
Claris ingenio ſeniô, meritoq; Profeſſis
(Cælica quêis præſtat moribundis, optima vivis
Fercula, Protectrix compti ſacra Barbara cætûs)
Altera Principibûs Petrô Paulôq; refulget,
Claviger aſtrorum reſerat firmiſſima corda,
Coram diffuſis per mundum gentibus altum
Deportans Nomen JEſu, ſolatia gignit
Nominibus veris divina ſequentibus, ampla
Doctrina Superis gratâ rutilante lycæo:
Ultima quæ primo domus eſt in margine laudis
Discipuli Chriſti duodeni ſorte Matthiæ
Pro Sociis electa novis ex orbe vocatis
Ad totum geminum ſua vota probanda per annum:
Intuitû ſi plura patent capienda requiris?
Non procul à Craci laribus, diſtare ſalinas
Conſpice Bochnenſes precè cunegundis adeptas,
Hæc in conjugio caſtiſſima ſponſâ maritum
Innocuæ fecit ſimilem ſibi fædere vitæ;
Currebat poſt æva decem proprio ordine ternum,
Dum ſalis inventâ ditata Polonia gazâ
Non ſibi lucra tulit, nec fert ſignanter ad usquè;

Verùm

Verùm & finitimis oris ingentia præſtat.
Tunc Prandota fuit longævus Epiſcopus urbis,
Cum ſale conditos à Principe Virgine pura
Promeritus guſtare cibos bona prandia ſumpſit,
Tunc Boleslaus regnans, connubia ſancta
Cum conſorte ſua tenerè recolendo, Pudici
Sortitus titulum: Franciſci vulnera cæpit
Purpureis laudare labris, adamare decoro
Corde,proinde novas promptus conſtruxerat ædes
Majeſtate gravi, pompa, ſplendore tumentes
Illis, quos Fratres communis lingua Minores,
Tota Minoritas Germania, Patria noſtra
Vult Franciſcanos antiquo more vocari.
Hi lætos pandunt animos venientibus arctis
Externa de gente viris, & commoda Tecta
Conventûs præbent, alimenta decentia donant,
Guſtibus arrident, vultûs tum pectoris auctæ
Innata bonitate dapes, ſed pabula mentis
Et mellita magis cœli bellaria gratis
Hoſpitibus ſapiunt, Devotio fervida flammas
Excitat in Chriſti Matrem Volitantis amoris.
Illius ædiculam Laquearia dextra propinqui
Templi circumdant inter Pulcherrima clauſtra,
Votum ſervandi jejunia ſtricta quot annis
Luce Quaterdena circa ſolennia divæ
Virginis aſſumptæ Sociis optantibûs explet
Ductor Alexander, Patrona Deipara cauſæ
Ut ſit prima, petit, conatusq; ordinet omnes.
Invocat & vivum Salomeæ ex pulvere ſacro
Præſidium, quæ carne Soror Rubicunda Pudici
Principis extiterat, Colomani ſponſa columba,
Et

Et Matris Verax Imitatrix Filia claræ
Talibus armatus mediis acquirere finem
Poſtulat optatum, Regni caput omnibus unum
Prædominans membris, prono conſtringere cultû
Vult ac in comites votorum inflectere ſenſus.
Aſt Sigismundus Rex nomine Tertius, urbe
Gente, domo, Patriâ dulciq; quiete relictâ
Pro fide, lege DEi confligere fortiter ivit
Ad chotimenſes claros certamine campos,
Exitium minitatus erat tunc Turca ſuperbus,
Manſvetis humilis Chriſti cultoribus atrox;
Africa bella movet, fert Aſia ſigna cruenta
Tartarus ad pugnam reſonantia tympana pulſat,
Irâ terribilis fervens Europa Tyranni
Orthodoxa cupit mucrone excidere Regna.
Sed Rex abſquè metu, nulla eſt formido Polonis
Qui bene muniti divino robore, vires
Adverſas telis precibusq; retundere gnari:
Osmanus decies lechicas tentare cohortes
Auſus erat, toties tetra cum clade repreſſus,
Oſſa, manus, os atquè pedes amittere viſus
Mox cecidêre minæ, poſtquam truxTurca minutus
Arva ſuo cæſo conſpexit milite, plena,
Plorans expetiit pacem, ſumptoq; ſtatutô
Fæderis æterni, ſola cum labe receſſit,
Probroſum nomen turpans, infame, reportans.
Ergo ex proſtrato feſtiva cadavere ſurgat
Gloria Victoris, de Turmis peſte necatis
Summa reviviſcant noſtræ ſolatia genti,
Laudentur Primi cæleſtia caſtra Gradivi,
Qui dedit auxilium præceps, fecitq; videre,
Vince-

Vincere Barbariem ſævam; procul Hectoris ortas
Palmas concelebrat lætus, recolitq; triumphos
Regis Alexander quem mentis acumine tangit.
Interea Coſmas de Torres Nuntius Almæ
Ac ſanctæ ſedis, veluti de vertice Montis
Labens ac ſpumans ſubito conamine torrens
Patres acceſſum ſitientes irrigat undâ
Uberis obſequii cordis certiq; favoris:
Iſtius Torrentis aquis alluſerat alter
Orpheus ex bini naſcens agnomine luſus
Nam Ludovicus erat Ludoviſius urbis honore
Cardineo lucens, quem Papa Gregorius actû
In ſolio Quintus Decimus de Fratre nepotem
Iuſſit, ut Inſigni ſcripto commendet amori
Tutelæq; ſui Legati Magna Potentis,
Patris Alexandri cauſam; perfecit ad ungvem
Imperium Domini Coſmas, vult eſſe rogantem
Veſte Minoritam, ſpe firmum, mente ſerenum.
Hic rumor dextro veniens à latere miſſi
Oratoris, erat ſucceſſûs alea fauſti,
Et tenero ludô recreavit Pectora mæſta;
Id novus Antiſtes Paſtorq; Localis ad aures
Excipiens, ſpondet porrecta negotia forti
Ad metam celſæ ſortis perducere nisû:
Id quoquè Magnatum ſublimis uterq; ſenatus,
(Quem ſibi præſentem generoſa Cracovia geſſit)
Ordinis intuitû plantandi vovet agendum,
Ut pote Purpureos per Patres motus amico
Autographô ſanctis rebus conforme tenente.
Sic Regni fulgente procul Titane, propinqua
Sydera dant lumen Domini ſignantia curſum

Et mendicorum tenebras, ſplendore repellunt;
Sic humilis creſcit perfecta Rogatio trina,
Aſcenſumq; parit Chriſto Famulantibus unum,
Si non in cœlos, in corda ingentia ſaltem
Et demum lechici ſenſim intra viſcera ſolis:
Vos Patrii ſupplex expoſco favete Penates,
Ferte patrocinium laudanda petentibus, & qui
Nullum reſpuitis notum ignotumq; viantem.
Congenitâ vobis bonitate patete parumper,
Hoſpitibus quemvis tenuem ſuperantibus irum
Pauperie verâ, donec releventur ab alto.

ARGUMENTUM.

Conceſſo oppoſitæ Parti Terminô ad producendas ſuas rationes, & ſopita finaliter controverſiâ MARTINUS SZYSZKOWSKI Episcopus Cracovienſis Judex Delegatus Apoſtolicus Decretum Definitivum tulit favore introducendæ in Poloniam Reformationis Seraphicæ.

LIBER TERTIUS.

Inclytus Antiſtes Plociæ Łubienscius olim
Vitas Pontificum, quos ille in ſede ſequtus,
Obtulerat terris à Poſteritate legendas,
Ipſe ſuæ radiis clarus poſt Funera vitæ:
Has inter ſuaves Violas refloruit una
Verè Præſulei pulcherrima victima veris
Szyszcovius Martinus habens probitatis odorem:
Is poſt Vołyniæ Breſtæq; minora priora
Culmina mitrarum, Plocenſibus intulit aris
Paſtorale Pedum, ſacri pinguedine verbi
Commiſſas pascebat oves, imitabile factus
Exemplar populi, reditus Majoribus auxit
Presbyteris Cathedræ, Lojolæ, ſtirpis Amator
Æthereas cum dote domos exſtruxerat illi,
Proventusq; ſua de menſa liberè ademptos

Pleno

Pleno jure manus largæ transfudit eidem.
Conſpectura brevem fulſit Palatia lapſum,
Vel bene cæpta dato ſolido perfecerat aurô:
Pauperibus Pater eſſe volens, habitacula, victum,
Indumenta tulit Chriſti ſusceptor egeni,
His & diſtinctis lechico virtutibus orbi
Enituit, genuitq; ſibi Regnantis amorem,
Nam SIGISMUNDUS mundos à crimine mores,
Puraq; geſta videns MARTINI, plura dicare
Munera conſtituit crebrò meliora merenti
Propter nativæ donata volumina luci,
Ac magnis pergrata viris oracula lingvæ,
ANNÆ etherum REGINÆ obitum funusq; ſupremô
Extulit eloquiô quaſi Tullius alter acutus
Quod ſcripſit, dixit, feſtiva id laude notandum.
MYSZKOVII & MACIEJOVII) quos mitra Ducalis
Severiæ coluit, craciæq; Diæceſis urbis)
Os ſubtile fuit, cum Cancellarius eſſet,
Ac per cancellos fortunam aſpexit amicam:
Lucis honorificæ hoc eſt primo Præſulis ortû
Gaudens, extinxit graſſantia ſchismata zelô:
Tuncq; Mareschalco Regni conjunctus, ad oras
Auſtriacas ſcindebat iter, nam Regia ſponſa
Annæ chara ſoror germana prioris aduſtæ
Morte Sigismundo conſortis, fædere caſto
In Societatem vitæ ducenda VIENNÆ
Debuit ad lechicos ſplendore favente penates
Angelicis ſtipata viris veniſſe, novoq;
Conjugiô ſacrare thronum CONSTANTIA dicta

Prin-

Princeps Racusiæ, thalamô lætata Mariti
Illum Martino stabili Bonitate Paterna
Fecit adhærentem, constanter adhæsit & ipsa,
Sic ut Volyniæ, Plociæq; cadente tiarâ,
In Carodunensis Sponsæ conscenderit ædem
Grandis Hymenæi quia summi Nuntius Ales:
Ipsi Patritium nidum mox Gnesna dedisset,
Et Nomen viridi laurô GEMBICCIUS ornans
Optâsset primo Regni succedere passû,
Ni mens sprevisset celsum Primatis honorem,
Ni dissuasisset Demissio Culmen adire
Illud, quô majus non fulget in orbe Polono.
VATICANUS apex dum tanto Antistite cernit
Fulciri Cathedras, lechicum radiare Senatum,
Mores fimari, leges, justiq; stateram
Judicii, non ficta refert oracula vatum,
Sed fit Martino veri perse augur honoris:
Discutienda cui maturo examine præbet
Religiosa novæ perplexa ligamina causæ.
Ergo age Personam Romani Judicis, olim
Auditor sacri sermonis clarus ibidem,
Ars Te Doctorem cæliq; scientia fecit,
Annulus in digito, rutilans in fronte biretum,
Ornamenta Tui meriti pretiosa fuêre;
Faustus Apostolicum conscende ac tange Tribunal,
Convocet oppositas præmissa citatio partes,
Luci succedens animarum terna Novembris
Designanda dies adsit pro limite juris,
Stent animata simul variis rationibûs ora.
Hoc ajo, Martinus agit mox omnia dicta,
Strictus & observans ad bella domestica Fratrum
Ordo

Ordo Minoriticus præcone vocante movetur
Absq; mora lætus comparet, uterq; secundô
Iturum cursû se sperans, fortia censet
Esse suæ documenta viæ, conflictus amicus
Non hostilis erit, pugnabit acumine mentis,
Non acie gladii, binæ vis maxima partis.
Jam stat ALEXANDER Sociis circumdatus ante
Præsulis obtutum, standoq; recogitat illa.
Quæ dicenda forent, instructus Flamine Divo
Instat suppliciter, pulsans penetralia cordis,
Ut sua de Sancta prodiens commissio sede
In facie cætûs facundâ voce legatur,
Et perlecta suô quem poscit fine fruatur,
Sic equidem fieri non sola decentia tantùm
Verum & justitiæ Virtus rectissima mandat,
Nam si Rex, Princeps, Magnates fascibus alti
Autographis claris hunc nanssciscuntur honorem
Quòd pateant dignis maturo civibûs ore,
Ac proprii cultûs & voti sorte serenâ
Lætari soleant, quidni veneranda cadente
Pontificis scriptura genû, reperire beatos
Debeat Eventus summosq; capessere fasces?
Adstat ab adverso Provincia Prima Minoris
Ut fertur Lechiæ, nunc observantibus una
Sufficiens Mater quos inter viscera Regni
In triplices amplos cætus excrescere fecit,
SCIPIO CHRISTOPHORUS DE CAMPO rexerat illam
Virtute ingeniô præstans, rerumq; peritus,
Stemmatico clarus Pelicano & fuste quaterno,
Ipse Reformatis obstans, ita dixit apertè;

Quid

Quid ſibi Fabritii Varalli fabrica vellet?
Explorare licet, qui ſi Protector habetur
Diligitur, colitur, celebratur ab Ordine noſtro,
Tunc veterum Fratrum defendere jura Minorum,
Non tamen in Regno novitates ſpargere debet:
Parva Brevi vel nulla fides tribuenda videtur.
Condere nam juſſit vix Papa Gregorius illud,
Quodſi credatur Bullam de mente fuiſſe
Pontificis, reſtant Decreta ſonantia plura
Oppoſitum parti ſenſu tangenda profundô,
Militat & PAULI QUINTI Breve fortius, in quo
Prima ſubalternis gradibus prælata Poteſtas
In Fratres arctam cupientes ducere vitam
Tam ſibi quam reliquis ex Obſervantis Acervo
Stirpis Præſidibus ſelectis ſubdit eosdem.
Mitis Alexander ſic verba moleſta reſolvit,
Chriſtophorus puro ſi portat pectore Chriſtum,
Membra tenetur ei ſtrictè conjuncta tueri,
Non acri propriæ lingvæ diſcerpere telô,
Fabritio dum noſtra Fabrô fortuna relucet,
Totaq; cardineo ſpectatur cardine niti
Nulla ſiniſtra (Deus novit) Fabricatio fiet
Quòd Breve ſit verè Papale Authentica praxis
Edocet, hinc fidei vivæ meritoria ſemper,
Nec Paulina quidem à nobis plus Bulla requirit,
Præter habere Caput generaliter Ordinis unum,
Ac dare primatum tunc quando publicus actus
Exigit externus talem obſervantibus eſſe
Condignum cenſens, à quo tentare receſſum
Religionis amor, pietatis cultus, abyſſus
Recti demiſſiq; animi, non conſulit unquam:
Ante-

Anteriùs ſi quid decrevit in urbe Senatus
Purpureus Patrum pro parte inſtante probatum,
Id citra noſtræ ſtatuit diſpendia cauſæ
Et quia poſterior nobis deciſio paret,
Illa ligata prior diſpareat, hæcq; tenenda.
Cumq; exinde ſuam vim diſceptatio major
Sumeret, & validi ſermonis pondus haberet,
Ac duplici Parti, Magnatum vota faverent,
Tum flueret motus, ſtrepitus, velut unda ſuſurrans,
Utraq; ſuspendit celſiſſimus organa Judex,
Pro quinta menſis currentis luce novembris,
Pro & contra conſcripta jubet monimenta parari,
Offerriq; ſibi planâ intus voce legenda,
Non etenim ſvadet ratio rem claudere verbis,
Aſt magis expreſſos poſcit perpendere ſenſus.
Proxima quarta dies BOROMÆO ſacra refulſit,
Per PAULUM QUINTUM non pridem in Sancta relato
Agmina Divorum, quem ſic prodivis adorans
Alloquitur, precibûs ſtringit, mentaliter orat
Noſter Alexander: ſi me cæleſtis Olympus
Mediolanenſes hodie transferret in ædes,
Et ſpectanda daret tua templa ornata nitore
Auri, gemmarum, lapidum, Puriſſime Præſul
Carole chare mihi toti cariſſime plebi,
O quanta pietate tuum venerabile corpus
Complecti vellem, propriis nunc artubûs abſens
Prociduo Te corde ſequor, præſentia vaſti
Præſidii mihi clara Tui, pupilla patenter,
Hoc interna videt, quod non attingit ocellus,
Impenſi memor eſto mei Boromææ laboris,
Nos

Nos defendendi medium palpabile præſta,
Cardineô tituli Sanctæ PRAXEDIS honore
Eminuiſti olim, tutelæ porrige praxim,
Te Protectorem grex Fratrum totus habebat,
Illius minimam Devotam protege partem.
Vix ea perfecit, Socios confortat, & inquit:
Credite progeniti vos in borealibus oris,
Quod Boromæus erit cras cauſæ Tutor amicus,
Senſerat aſpiciens Chriſti patientis acerbos
Nuper VARALLO remanens IN MONTE dolores,
Pontificis Bullam confectam auctore Varallô
In ſortunata permittet ſiſtere meta,
In miſeros homines, inopes, ſignanter egenos
Effundebat opes, cumulatus munere cæli,
Ejus larga manus benedicens pollice dextro
Pauperibus Veris, molimina noſtra juvabit:
Inſignes igitur ſocii cantate triumphos,
Affectûs illi puras accendite flammas,
Integra decurrant læto ſolennia plausû.
Nuncius auroræ conſurgens Poſphorus albus
Optatam cum ſole diem jam reddidit orbi,
En ſtat Chriſtophorus præfixæ præſcius horæ
Judicii, vigilat, vigili ſibi jura propinqua
Subventura putans, librat Momenta ſuarum
Denarum & quatuor rationum, mente revolvit,
Atquè quater decies penſando exiſtimat eſſe
Concepto firmo medio anteferenda cuivis.
Sic Perſona novis pretioſis veſtibûs oſſa
Exornata gerens, huc, illuc ſæpe movetur,
Dinumerat greſſus rapidos, conſiderat in ſe

Divi-

Divitias amplas, nimio ſplendore ſuperbit,
Ponderat excultum rutilante gravedine corpus,
A quovis ſpectante oculo vult compta videri,
Per nullum verò taxari membra polita
Nec ſimilem tanto reperiri poſſe decori.
Sic aggreſſurus diriſſima prælia miles
Magnanimum Herculeoq; parem ſibi præparat auſum,
Vulcani rabidis ſpem & robur ponit in armis
Et fauſtos contra bellantes autumat ictus,
Adverſas reprimi, frangi mucrone cohortes,
Nec ſocios pugnæ vinci ſed vincere cenſet.
Talem Chriſtophorum cauſæ Clypeata venuſtas
Exhibuit, ſubitoq; ſacri properavit ad aures
Judicis, in cujus facie, formoſâ leguntur
Fidentis monimenta viri rationibus eſſe
Optima præ cunctis, dandis majora legendis.
Ponit Alexander ſpecimen ſpectabile parvi
Nec ſibi credentis quia ſola minora ſequti
Ingenii, fit ſumma quies Lectore tonante,
Ora ſilent, nec verba ſonant, elingvis habetur
Quilibet auſcultans, tenuit dum lectio finem,
Protinus exclamat Præſul ſuperarbiter illo
Præditus eloquiô, quem Patrem partus honorat?
Qui ſcriptor, quæ penna dedit cohibentia tela?
Auditû notus, viſû noſcatur acutus
Reſponſi genitor, ſubſellia noſtra propinquum
Conſpiciant, nitidaq; caput mercede coronent.
Aſt operis tanti præſtans BUŁACOVIUS auctor,
Ne bona cum vaſtis tolerare vocabula poſſit
Laudibus ingenii, claram ſubterfugit auram,

Con-

Contentusq; ipſo Benedicti nomine, dicta
Quæquè cupit claudi taciturno pectore, nam ſic
Religioſa virum decuit demiſſio mentis;
Verùm Præſuleâ dum voce movetur, ut adſit
Hanc animi ſobolem celebranti proximus ori,
Comparet roſeum monſtrans in fronte ruborem,
Ac velut exanimi capit aure encomia preſſa.
Attonitus Judex mollem ſubtilis Achillis
Chriſtophori ſenſum quærit, num ſolvere lectam
Intendat replicam, calamoq; retundere vires?
Sed quia fructiferum ſemen ſine meſſe receſſit,
Exploſiq; globi nullum retulêre triumphum,
Spes in conſiliis ſapientum tota relucet,
Etſi differtur meliori tempore tutus
Terminus intenſæ vario conamine cauſæ,
Diffinitores ſacro de corpore Patres,
Fors ſua vota dabunt valido pugnantia Zelô,
Ac ferme extrema de morte reſurgere vitam
Actûs incæpti facient; dilatio litis
Juſta datur, fluit hora dies & tempus agendi.
Lucubrat inſomnis, vigilans ex agmine Fratrum
Nobilior cætus, remeare penultima menſis
Cernitur, & quanta rerum novitate November
Sit pollens in fine ſuo, ſolertia mentis
Atquè ſagax expers grati pupilla ſoporis
Fortiùs expectat, ſed nulla recentia viſa
Fundamenta viæ, verùm reboare vetuſta
Laſſatus Judex ſenſit ſiſtemata cauſæ,
Nempe precatrices grandævi ex parte Senatûs
Mirificas voces, non uno inſtante Dynaſtâ.
Propterea ſteterat ſententia prima volente
Nu-

Numine Supremo perflante os Præſulis & Cor,
Grata Reformatis ſemper poſcentibus æquum,
Crebraq; ſucceſſu fauſto Decreta trahebat
Juſtitiæ ſtabilis, celeri conformia metæ.
Tandem Romanis de collibus orta ſerenam
Pontificis faciem declarans pagina dextram
Patris Alexandri tetigit, juſſitq; volare
Non reptare manû, non planta gignere greſſus,
Aſt & præcipites ventos excedere motû,
Ut Judex JLZÆ folium Papale moratus
Absq; mora videat, ſcrutetur & expleat actum.
Suscipit Antiſtes vivaci corde modeſtum
Latorem poſtæ venerabilis (ecce ſigillum
Exigit admitti cordatè, litera ſola
Majori pietate coli, perlecta coronam
Cernere præfixam) mox partes convocat ambas,
Ad ſolvenda ſuo ſyſtemate vincula juris,
Ac ad finalem prodromis concordibus ante
Decretis ſenſum nectendum, voce legendum;
Utraq; pars paret, verùm an ſolamen utriq;
Judicium pariet? non eſt problema, ſed anceps
Hæſitat ingenium, MARTINUS martis & artis
Cunctos perpendens apices, ſic Judice ſummo
Aſſiſtente ſibi ſtatuit, decrevit, & omni
Arbitrium juſtum populo innoteſcere fecit;
Quòd diverſa ſoli ſoliiq; celebria multùm
Regna Reformati nitida virtute decorent,
In lechicis etiam lucere penatibus arcto
Exemplô debent, nec ſola Diæceſis iſta
Sit locus ipſorum, ſed tota Polonia Mater.
Audit Chriſtophorus campeſtris dogma tremendum,
Et

Et de conflictus campo ſine voce recedit,
Pugnaci via quæq; ſimul præcluſa loquelæ
Fitq; ut fraternos disruptos lite moleſta
Per longas horas, animos concordia jungat:
Sic inter ſobolem diviſam ſenſibûs uni
Subjectam Patri Franciſco bella quiescunt,
Et poſt bella Parens lucis belliſſima pax eſt,
Oſtojâ Judex en jam reſeravit avitô
Pulchra Reformatis ad comptos oſtia fines,
Germinis ingreſſum monſtravit & utile genti
Vicinæ perfecit opus, laudabilis inde
Et quia ſtemmatico gladiô Mediator apertus,
Et Gentilitiis lunis præluxit egenis
Ad plenam Meſſem capiendam ex ſemine fauſto.
Nec deerat votô tamen Obſervantibus ipſis
Pectore dilectis tenerô mireq; Paternô,
Quos nuper Breſtam Lithvanam invexit, eosdem
Extulit in montem Karczovia parva vocatum,
In tellure ſua Kielcenſi colle micantem,
Clauſtraq; tum ſacras Boromæo condidit ædes;
Carior evaſit quia totô clarior erga
Pontificem Divum cultû pretioq; refulſit.
Non minùs extremi proſtratus marmore morbi
Se Stanislao Devotum præbuit, ut ſi
Ex ægro ſospes fuerit, Regale ſepulchrum
Ædificare velit, tumbamq; educere puro
Fuſam ex argento pro Martyris oſſibus, & mox
Ex morbo recreatus adeſt ſudore domante
Intenſos uſti vehementer corporis æſtus;
Munificis igitur donatis robore palmîs
Millia nummorum centum quingenta repente
Præ-

Præſuleo compertus erat voviſſe decori.
Præter Mercurii jejunia ſtricta diebûs
Currentis vitæ nitidæ ſervata per annos,
Ultra multiplex facinus memorabile cælo
Per Superos ipſos calamô laudante notandum
Hoc produxit opus, lucem ſpectante libellô,
Quod Generalis erat Patriarcha Diæceſis altæ,
Atq; Reformator morum, difformia corda
Primævam ad formam celſa pietate reducens
Unde Reformatis factus conformis, acervum
Patritiæ terræ dederat crispansq; frutetum,
Ut plantare queant nova ſed paupercula tecta
Per Fundatores Divinæ ſedis amantes
Clementis largæq; manus ſolidanda beryllô,
Chriſtiâdum genti fruges cum meſſe datura.

 ARGU-

ARGUMENTUM.

Pater Alexander Patavinus à Sacra Regia Majestate Polona tam vivus quàm vitâ functus specialiter appretiatus, erectis duabus Custodiis Strictioris Observantiæ in Regno Poloniæ, relictôq; Varsaviæ morum, ac laborum Apostolicorum insigni exemplô: ibidem in laudabili opinione Sanctitatis diem ultimum clausit.

LIBER QUARTUS.

Vistula vî tuleras quondam gentilia membra
Principis hìc Vandæ regnantis corde virili,
Fæmineoq; nihil de sexu ferme gerentis
In lechico solio, nam mens & mascula virtus
Digna thronô quosvis muliebres vicerat actus,
Virginei candoris amor, Prudentia, mavors,
Majestas animi sceptrô scribenda refulsit.
Is tantùm vanus cinis est pro nomine Vandæ,
Quòd fictos venerata Deos, innupta vigere.
Ad tumulum cupiens, florem sacravit eisdem;
Dum se præcipitem rapidis injecerat undis,
Ne puri properare queat jactura decoris:
Verùm Neptunus grandis Moderator aquarum,
Noluit

Noluit immersæ sibi charæ parcere sponsæ,
Nec tantum validô lapsum fulcire lacertô;
Ergo ruendo perit Plutonis victima, sævo
In fluidis lymphis aheronte vorata Puella,
Vandalus à Vanda dici mox Vistula cæpit,
Virginis exitium nec se nec flumen habenis
Imperii Regniq; sui superare potentis,
Deplorans salsis lacrymis stagnante procellâ,
Et luctum signante atro post funera fluctû.
Non sua membra tuæ tetræ committit abysso
Vandale diffusis Tethybus spumose profundis
Liber Alexander, quamvis te tangere prorâ
Et super elatum poscit volitare cacumen,
Da navi lætos sine trito tramite gressus,
Ut valeat littus vento ridente tenere.
O Socii dulces, Craciiq; valete penates,
Antistes Judexq; simul Martine serenos
Cerne dies, menses, annos adipiscere dextros;
Vos natale solum Fratres peragrate Poloni,
Sit divina viæ vestræ Benedictio ductrix,
Et nova demonstret cænobia parva struenda:
Me Bonaventurâ Varallô Patre sequente,
Ex castris reducem Victorem clara trophæa
Secum portantem Regem spectare necesse:
Inquit Alexander celeriq; dat ossa phasello,
Intrepidus pergit fluctus ferientibûs euris,
Dicta Paterna notant socii mærore repleti,
Aspiciunt, quò se poterat diffundere lumen,
Navigeros suavesq; Viros ex vertice montis,
Tendit tuta ratis, favet ipsi mobile velum,
Disparent campi, pini, cum quercubus alni,
Be-

Betullæ fugiunt, flores, agri, oppida, villæ.
Vix capit amnicolas viſus, Varſavia promptè
Tota ſub intuitum voluit cecidiſſe videnda
Hujus perpetua eſt capitis Maſovia Cultrix
In terras diviſâ decem, primordia tantæ
Urbi ſubſcribit, quam Regibus eſſe dicatum
Agnoscit nidum, de cymbæ limine ripam
Surgit in optatam ſecurior Advena feſſum
Continuo motû vim ſumere corpus anhelans
Alloquitur ſocium, pauliſper membra quieti
Demus, & orantes mentes ſuper aſtra levemus
Ad ſummum Regem, qui nos illuminet ut ſic
Coram Purpureo cum verbis Principe ſtemus,
Sicut noſtra decet fasq; eſt ſubſiſtere vota.
Tranquillos animos poſt tempora pacis uterq;
Erigit, & Regis palatia celſa ſubintrat,
Patribus inſolitis greſsû facieq; modeſtis
Excubiæ poſtesq; patent, Regale deinceps
Cor tenerum, clemens, molli ſe prodit amore;
Eloquium ſupplex juſtum ſubtile Minorum
Majeſtas Trabeata ſuâ bene percipit aure,
Et fundare domum, tutari ſpondet eosdem.
Sed quia Veliferis fuerat vectanda carinis
Ad Lechiæ muros viſendos, atquè Pruthenas
Urbes, felicem jubet expectare regreſſum,
Hanc ad Viſtuleum littus comitatur, & audit
Roſtratæ navi tribuentem membra Monarcham,
Elata verbum benedicens voce petentem,
Seq; ſuis precibus credentem & munera Regni,
Id clero præſente ſacro, mirante ſenatu
Egit Alexander, quod Rex mandavit agendum.

Ac

Ac poſt diſceſſum Domini Dominæq; potentis,
Cum ſocio velox amplam remeavit in urbem.
Occupat hoſpitium conductum & tecta per aulæ
Præfectos oblata ſibi, Menſalibus escîs
Veſcitur ex Regis ſumptu naſcentibus, herbam
Fragrantem viridis pietatis germinat, almo
Magnates cunctos recreat probitatis odore:
Nomina ſi quorum clariſſima noſcere poscis?
Hi SANDIGOVIUS, PRZYJEMSCIUS Alter Adami
Fulgentes titulô, tum Sigiſmundus avito
In Melsztyn TARŁO, KOMOROVSCIUS ecce Joannes,
LIPSCIUS Andreas Præſul, ZBOROVSCIUS illo
Reſplendens ethimo, plures pariterq; ſupremi
Enituêre viri, pertracti inſonte decora
Patris Alexandri vitâ, promiſſa dedêre,
Nonnulli votis hoc firmavêre, quod arctum
Conſervare velint Franciſci ex ordine cætum
Dum Carodunenſis ſtabant in cordibus urbis,
Et Spectatores fuerant divina locuti
Pro Superis Myſtæ, qui primis civibus ipſis
Accola gratus erat cæleſtia ſemina ſpargens
Italico ſermone ſacro callentibus illum.
Sæpè ſcholam juvenes exordia ſola docentem
Tanquam perfecti trivii ſtudiiq; Palæſtram
Ingreſſis, meliore viâ redeuntibus ad cor
Extiterat charus Præceptor dogmata dicens
Sic ſpecimen morum doctrinæ geſta relinquens,
Propter devotas animas Operarius ingens.
Hæreticis etiam zelô prudente ſtupendus,

Exhi-

Exhilaratur famâ veniente à Fratribus orbem
In Lechicum missis, de flore virente novello
Dante Reformatis crescentia lilia veræ
Lætitiæ summoq; DEo incrementa ferente
Est ZACLICINIUM, Civilis Gorca, propinqua
Illi, nam leucis distans OSIECNA quaternis,
Dissita non vilis Vicina VIELICIA Craci
Mænibus, & CHOCIUM à mediis non valde remotum
Oppidulis binis, hæc excellentia quinque
Sunt castella locum præstare volentia nostris
Ædibus; auscultat demum tormenta tonare
Fulmineumq; sonum portendere, quæsit origo
Frendentis strepitus muros urbemq; secantis?
Ecce Sigismundus populo suavissimus Hospes
Cum consorte redux, exorta tonitrua tanta
Non terrent Cives, sed mulcent atquè facessunt
Tempora fausta, quibus grata est præsentia Regis.
Nullus Alexandro metus est, formido nec horror
Incutitur, sed plausus inest plaudentibus armis,
Ac flammis rapidam cædentibus ætheris auram,
Regia dum sedes gestivit gestit & ipse:
Exultare etenim turbis gaudentibus æquum est
Ac gigni Ambrosium turnô modulamen Ovante.
Interea certo rumore & laude potente
Patris Alexandri Princeps permotus eundem
Verbum intus Regale tenens accersit ad aulam,
De cujus manibus devota mente petitum,
Lætus dum recipit verum diploma cooptans
In numerum meriti totius in ordine cætûs;
Mox offert fundum spatiosum & funditus auctor
Stru-

Structuræ, Fratrumq; cupit Primarius esse
Defensor, Genitor, fundente propagine semen.
Qualis Alexander vultûs animiq; refulsit
Luce, Sigismundi mundissima dicta revolvens,
Candide Spectator cuncta ista in fronte legendo
Mirareris, abit venerans hunc poplite flexo,
Dispersos socios in tantam congregat urbem,
Se non amissam gemmam reperisse fatetur,
Quæ de magnifica voluit cecidisse corona
Arctior ut citiùs consurgeret Ordo Minorum
Occurrens soboles xenium Patris æstimat, inquit:
Optima Majestas vivat, si vilis egestas
Franciscana dies pretiosos ducit ad illam;
Jam Patriarcha sacer quinquena in corpore portans
Stigmata, quinquenas plantas excrescere fecit,
Sexta hìc egreditur primis fæcundior, ex quo
Purpurei capitis rore exundante virebit:
O Lignum consurge crucis, confinia sancti
Limitis existant proli memoranda futuræ.
Vix humiles peperêre sonos effata virorum,
En mox christiferi patuit plantatio Ligni,
Et mensura loci in longum latumq; sequta:
Hìc duplex Electus erat Duce Præside Patrè
Custos ad cætum metodo meliore regendum.
Annô ultra binas decades currente secundô,
Lucèq; purgantes animas pietate juvante,
Surgit uterq; sacro Phænix de pulvere mortis,
In dismembratis uno vult vivere tectis
More, Reformatos conformes prorsus agente:
Quos indivisos divisio facta locorum
Exti-

Exhibuit, quævis Perſona ligamen amoris
Diſſociata tenet fraterno prædita nexû.
Tandem ſtipatus minimâ ſectante catervâ
Ductor Alexander Regali ſede relicta
Viſus Sarmatiæ campos Majoris adire
Scrutariq; novum, num frondeat arbor humata
Nunc hìc, nunc illic fructum genitura ſalutis?
Verùm Ligna Crucis Chriſti fæcunda patebant,
Fundantesq; Viros recreabant ſtemmate claros,
Et Patri ac natis pandebant germen honoris,
Suave eſt Oſiecnæ, Gorcæ, Chociiq; morari,
At Carodunenſis longinqua Diæceſis arva,
Non ſuaſere diu ſacros retinere penates,
Ut charas Matres Gneſnam Poſnamq; colentes:
Jam Zadlcinium, Vielicia flagitat almi
Obtutû cum prole pia gaudere Parentis.
Incunctanter iter ſociis circumdatus ardens
Sumit Alexander, quaſi flammiger evolat ignis,
Nec jucunda quies, nec vitæ tempus amænum,
Nec locus inſolito reſplendens lumine ſolis,
Nec nimboſa dies, nec ſignis plena ſerenis,
Nec ventus perflans, nec gratia grandis Herorum,
Præfixos cohibere poteſt à tramite greſſus.
Feſtinus currit mox CESTOCHOVIA Montem
Oſtendit clarum cunctis per ſæcula terris,
(In quo complacuit Chriſto manſiſſe) Mariam,
Materno ſummè celebrem regnante timore
Auxiliatrici junctô gratanter amori,
Hanc Divo Luca pingente cupreſſina menſâ
Viventem ſolymis ſolemniter exhibet orbi,
Lauta fameſcenti tribuit bellaria plebi,

Lu-

Luminis expertes, claudos inopesq; libenter
Excipit, & vivam confert obeuntibus eſcam.
Per tria Divinæ Pulcherrima Virginis Icon
Ævа ſtetit ſolans ſolymas, his flebile paſſis
Excidium, nullos Hoſtiles noverat ictus,
Quinquè BYZANTINA conſumpſit in urbe morarum
Sæcula, BELSENSI totidemq; peregit in arce;
Tandem poſt bellum LUDOVICI pace fruentis
Ruſſorum Magni Domitoris, fortiter armîs
Et ſceptro clari Hungariam Lechiamq; regentis,
Ac primi mentem recreantis lumine Regni,
Intra ſarmatiam dominatrix munus adimplens
Inclytus oppoliæ Dux ULADISLAUS, olympô
Cæleſti ſignante viam de mænibus arcis
Tranſtulit effigiem JESU Genitricis amatam,
Huc Ceſtochoviam (Vicina Sileſia tangit
Tecta Polona oculô) ſubitòq: recondit in æde
Sacrata Parochum tùnc pro Rectore tenente.
Deniquè conſiliô Ludovici Regis aduſtus,
Artubus inſerta pridem pietate colentis
Pannonias PAULI Patriarchæ & Patris eremos
Florentes natis ſtudiô ac pietate Beatis,
Illis ſub niveas candore micantibus intus
Et foris excubias gemmis pretioſius ipſis
Obtulerat donum, fulgentis Imaginis Alma
Matre DEi JESUM manibûs geſtante tenellîs:
Regibus innato fecit conſurgere ſumptu
Excelſum validoq; potens munimine clauſtrum,
Nec non exſtructas cinxit ſplendoribus ædes.
In varias mundi partes diſſeminat illa

Tan-

Tanto prima loco dans ornamenta Maria,
Et simili depicta modô extra intraq; Polonos
Irradiat fines, ROMAM substansq; viennæ
Dulce NEOSTADIUM LUBECUM & nomine parvam
GLOGOVIAM terna hæc germanæ lumina gentis
Æthereis opibus replet donisq; supernis:
Olim sarmaticæ sedes regionis in octo
Effigie translata suâ illustraverat urbes,
Oppida, tum pagos, etiam Posnania floret
Blando præsidiô Divinæ fulta Parentis.
Strictiùs observans vitam Carmelus Eliæ,
Antiqui, miri, viventis ad usquè Prophetæ,
Ad Corpus Christi subsistit, & Icone clara
Virginis ùt volucris cæli modulamine gaudet,
Crebraq; conspicitur miracula voce canora
Lætantis populi numerare sequentibus annîs.
Suavis Alexandro concessi partibus orbis
Montem dignificans offertur origo decoris,
Regia cor mulcet facies, frons, visus & oris
Gratia, sed dirum vulnus triplicata cicatrix
Infligit, nullis expuncta coloribus unquam,
Una per atrocem scythicam in cervice sagittam,
Bina per Hussitas sævo mucrone relicta
In roseo vultu, nascuntur mille dolores
Interiùs blandam mortem generare parati.
At de stigmatibus mæror, dolor, horrida morsq;
Gigni non poterat propter Genitricis amantes,
His equidem venam vitæ, solaminis undam
Clementer reserant, & solis Hostibus atrum
Parturiunt fatum, mollis compassio strinxit
Pectus

Pectus Alexandri, ridensq; Maria resolvit
Vincula tristitiæ, servum gestire dolentem
Jusserat, & dulci vix non dedit ora loquelæ.
Ulteriora gradi mandat per compita tempus,
Jamq; sacra cogit promptos ex æde recessus
Sumere, nec cætûs fraterna negotia parcunt,
Sic recreatus abit, qui totus mente remansit,
Devotos reperit Peregrinos (cuncta recente
Hospite læta dies splendescere novit ibidem)
En Zaclicinium præbet se in colle videndum
Invitans Patrem, custos exposcit uterquè
Concilii sublime caput, grex integer unum
Optat Pastorem venerari, præstò supremus
Præses adest, præstanda statim præstantiùs implet:
Subditur Angelicæ Custodia prima Mariæ,
Cujus tutelæ Francisco Patre volente
Subjectus fuerat vastissimus Ordo Minorum:
Alterius columen fit, Padvæ Antonius ingens
Thesaurus cumulans homines prædivite gazâ
Cælitibus propriâ, Patavino corde patente
Notus Alexandro, qui mox conformibus ambo
Cætibus ausoniis commercia legibus omni
Dexteritate datis cinxit, statuitq; sigillis
Custodum stemma hoc addendum jure jubente,
Quod Flos Bononiæ LUDOVISIUS optimus & post
Maximus Antistes gessit Gregorius actû,
Inter oves Christi regnans, regnumq; coronans
Morte Beatorum, Petrina in sede biennis
Quinquequè mestris erat superans virtutibus ævum.

Post

Post sex & denas ætates tertius annus
Supra viginti perfecit lugubre tempus,
Dum tanti jactura viri sat corpore parvi,
Ast animo grandis Papæ primiq; virorum,
Tota Reformatæ scidit præcordia gentis,
Quam Pater hic verus texit, defendit, & auxit,
In lechicoq; solo firmam remanere volebat.
Luctus Alexandri concussit viscera, quare
In lacrymas effusus abhinc solatia nulla
Moliri poterat, desertus vivere tantùm
Flagitat, & sancti plausùs meminisse polorum:
sic justos ærumna premens, non gaudia mundi
Non breve delicium populi non quærere risum
Cogit in humanis, quibus exultatio cuncta
Ex astris oriens fit jucundissimus Hospes:
Est Divinarum Dux contemplatio rerum,
Ociùs absorpta generans in mente serenum,
Cum Superis puræ fons conversatio vitæ,
Dissipat angores hilaremq; resuscitat ausum,
Dum novus æternos Asceta recogitat annos
Post oblata viris Fratrum moderamina binis
Tranquillas animô numerans complectitur horas,
Repleturq; bonis cæli dulcedine plenis:
Cum laribus pectus reduci Varsavia pandit,
Quam claustrumq; simul festiva mente subintrans
Hospitium cupit esse suæ post fata quietis.
Eventus pia vota sequens non decipit illa,
Immo fit mæstus funesti temporis augur,
Instant languores, cunctis repetita diebus
Ægrum noxarum confessio pura vegetat:
Vix culpæ venialis eum festuca notavit

Et veniam supplex veniente rogaverat ortû
Solis, in aure Patris solventis vincula quævis.
Urit vis morbi, sed sacra synaxis adauget
Excellens animi robur, cælestia narrans
Cor reficit sermo, momenta fluentia suavis
Colloquii recreare senem de nocte videntur:
Verùm Prima necis vitæq; liquentis origo,
Ætheris,amnis,humi,flammæDominator&Auctor
Partarum rerum, servum de compede carnis
Evocat, ut grata sibi libertate fruatur,
Et requiem capiat fessus durante labore.
Majus Discipulis Christi sacratus, in ipsa
Fronte rapit stellam majoris in orbe Minorum
Luminis, ac tenebris exordia propria velat;
Jacobus periit fullonis fuste, Philippus
Membra cruci dederat, cruce fuste perire necesse
Oblatam sobolem blando niveoq; Parente;
Post denum & sextum ævum jam vigesimus annus
Quartus erat senas decades ætatis adepti
Finis Alexandri nec non superantis easdem,
Proxima Patroni solennia classica Divi
Singultû, gemitû, fletû lacrymisq; tegebat.
Manibus avulsi Patris fraterna parentat
Turba dolens, populus Devotus convolat, arcti
Particulas habitûs veneratur & accipit, aula
Regia fit præsens, Rex Sigismundus amati
Pauperis exequias mox personaliter ornat;
Illius miseræ litaverat oscula vesti,
Et faciem semper cernendam pingere jussit;
Religionis amor, Defuncti splendida cultû
Vita viri tales à Majestate dicari
Vivo tum pariter tumulato svasit honores.

Nec deerat Regis pietati Gratia ſummi
Rectoris mundi, qui clarum reddidit orbi
Nomen Alexandri, nam implorans dona ſuperna
Nadarzynenſis Parochus (Plocenſibus iſtud
Oppidulum Sociis JEſu parere ſubeſſe
Noſcitur) expertus fuerat, dum morte minante
Exitium, vovit Divino ſolvere ſervo
Obſequium, ſi prima ſalus quæſita redibit:
Protinus ecce videt ſe ſanum, lignea voti
Atq; favoris adeſt teſtis depicta tabella
In noſtro clauſtro, Parochum decumbere monſtrans,
Ac Medicum Padvæ meliorem adſtare jacenti.
Poſt aliquot meſſes mundata ſepulchra dedêre
Corpus odoriferum ſpectare oleôq; redundans,
Quod motum patulas per rimas ſimplicis urnæ
Palladio longè majorem fonte liquorem
Extulit, ac auro par ſola remanſit arena
In medio tumbæ, pietas hanc candida Fratrum
Diſtincto gaudere locô ſelectius egit.
Sed Regnum Regniq; Decus Varſavia poſtquam
Diverſos tolerare ictus à Marte feroci
Debuit, externus grandis conſumpſerat ignis
Omnia, nec tectis, aris, templisq; pepercit,
Et tumulos etiam perflaverat acrior Eurus;
Theſauri cuſtos periit rudis arcula ſacri,
Vel nobis ignota manet notiſſima ſoli
Cælorum Domino, qui ſe celare volentem
Novit Alexandrum, notumq; recondit in aſtris;
O utinam noſtris animis aliquando revelet
Tanti membra Patris pretioſa videnda colenda,
Intuitû recreet mentes & corda venuſtô. AR-

ARGUMENTUM.

Pater Benedictus Bulacovscius, priùs Obſervans, & demum Reformatus, tam extra, quàm intra Regnum Poloniæ Inſignis Theologus, Viſitator Cænobii Glivicenſis, eò celebrior, quò meliùs à Domino ſuperna dona conferente Viſitatus.

LIBER QUINTUS.

Quæ ſonat in lechico ſvaviſſima teſſeraRegno?
Quæ tuba, qui cantus, quæ vox transververat aures?
Quæ lyra, quodq; melos his dulciter obſtrepit oris?
Dic mihi muſarum celeberrime Rector Apollo:
An nemus & lucus ſylveſtria numina claudens
Frondibus & fidibus tactis applaudit eisdem?
Concentum ne trahit revoluta Pieria Turba
Ac ludente choro geſtit numeroſa noveno?
Caſtaliæne thetis caſtiſſimus alveus aures
Exhilarat blando riſum cauſante ſuſurrô?
An de parnaſſi veniens ſymphonia caute
Jucundos ſaltus & læta choragia gignit?
Sed procul à verbis elingvis Apollo, nec ullum
Congenita de luce jubar dat Phæbus hic, alta
Cum propriis Muſis Dodona ſilentia ſervat,

 Non

Non quercus, pinus, nec ſtans betulla, nec alnus
Oſtendit reſonare Deos fors voce carentes,
Turba novena tacet ſubſiſtens absq; loquela,
Nec præſtare poteſt optata novalia terris,
Impuri fontes glaciali compede vincti
Nullum parturiunt ad ſuavia gaudia motum;
Par quoq; naſutis ſaxis Parnaſſia rupes
Vix pulſata ſciet naſum deponere, non os
Expers ſermonis reſerare parantibus aurem.
Hinc eſtote locum commenta remota per iſtum,
Ficticii procul ite Dii, migrate Camenæ,
Fabula vana peri, nil menti occurrat inane:
Claſſica vera placent, Patrius quæ germinat orbis,
NempeZAREMBITÆ re & nomine vera colentes
Quos inter Benedictus adeſt Bułacovscius unus
Optimus in bino B, nam Bonus atq; Benignus.
Et licet in lechico campo Leo rugit avitus,
Ac regale feris fert formidabile ſignum,
Attamen exiguos vox incutit illa pavores,
Quin magis audaces animos mortalibus addit;
Quippe metum cunctis fremitû cauſare Leones
Iſtos crede mihi, quos ſylva profunda recondit.
Aſt Leo ſtemmaticus non iracundus in ungve
Non trux rugitû, non ſignat fulmina visû,
Eſt animal domitum, manſvetum, mite, ſerenum,
Excelſis domibus ſceptro dominante miniſtrat,
Deterret nullum, vult eſſe Domeſticus alti
Incola tum Cuſtos Generis, Magnatibus ore
Fronte placere cupit, blandiri corpore toto.
Comis Adulator fuerat de Nobilis unda
Sangvinis, egreſſo Benedicto & ſyrmate caudæ
Applau-

Applaudens non dura ſequi ſed lenia mandat:
Ad Gentilitium decus ait gaudia vera
Audiri illecebras mentis carnisq; voluptam,
Et firmo cinctam muro conſurgere ſortem,
Vitæ, fortunæ, nunquam fallentis honoris.
Iſte leoninus juvenes convincere ſermo
Mille reor poterat, ſed non ſuperare valebat,
Stirpe Zarembitam hunc, qui dum rugire Leonem
Percipit, intrepidus ſiſtit, vel Dæmonis aſtum
Vel mundi ſonitum cenſens, ſirenis Ulyſſes
Cantû ne pereat, claudit prudentius aures,
Deſerit affines, Patrem, Matremq; relinquit,
Nec tranſverſa gradûs primi illum linea vertit,
Nec cognata domus, ſplendorem ſpernit avitum;
Sanctius ad Chriſti properat novus Agnus ovile.
Quærit apud Fratres pro ſe majora Minores,
(Quos Obſervantes externus nuncupat orbis,
Et Bernardinos hæc ſola Polonia dicit
Ob Bernardino Senenſi primitus ædem
In laribus Craci ſacram dantemq; vocamen
Ingreſſis Patrias his Poſſeſſoribus ædes)
Ac reperit ſtratam pura probitate Virorum
Exemplisq; viam, quot cernit in Agmine Divi
Franciſci natos, numerat tot germina cæli.
Illi habitus ſusceptus erat Conceptio quædam,
Anno portatus pleno, geſtatio pulchra
Intra uterum caſtum charæ Genitricis ùt ajunt
Ordinis Angelici, felixq; Profeſſio partum
Tum baptisma dedit, poſt confirmatus amore
Divino, ſtudio pietatem jungere cæpit;
In virtute ſimul profectus in arte refulſit,

Hunc

Hunc doctrina ſacrum ſocratica, captus olympi
Perfectum fecit, ſubtilia dogmata ſcoti
Solerti penetrata modô oſtendêre capacem
Muneris atq; gradûs in Religione futuri.
Nec ſpes utilium vili latitabat in herba
Nam Benedicentis Domini dulcedine tactus
Excrevit Benedictus, opus quod ferre valebant
Præſtantes humeri, cætûs Rectore jubente
Geſſerat activus laudabile fecit & ingens,
Legit Ariſtotelem doctasq; metebat ariſtas,
Vaſta revolvebat ſapientum ſcripta ſophorum,
Ac immerſus aquis Euripi, mira fluenta
Traxerat ingenii, cum Præceptore Joanne
Cælitùs oblato Scotiſtis Principe, Matris
Virgineæ Chriſti cæptæ ſine labe Patrono,
Et celebri in terris aquilina mente Magiſtro,
Pennigera ad Superos animi virtute volabat:
Exhibuit toti quid Doctor Dunſius orbi
Contulerit pretii, de reſplendente labore.
Poſt logicæ, phyſicæ, & transnaturalis apertos
Diſcipulis cursûs doctrinæ labra cleantis
Clauſerat, ac pelagus Myſteria ſancta recondens
Lublini Lector voluit libare lubenter,
Sumere libatum, ſumptumq; dicare ſequenti
Auſcultatori potumq; offerre ſacratum:
Lublinenſe virum cernens Regale Tribunal,
Judicium tulerat, Decretum condidit iſtud,
Quòd Benedictinam Divina ſcientia frontem
Exornans, reddat faſtigia ſumma merentem.
At minimum reputans ſe Tantus in urbe Profeſſor,
Ob Chriſti puræq; ejus Genitricis amorem,
Con-

Contemni voluit non alta capeſſere, formam
Quærere vivendi perfectiùs, arcta ſequendi
Signa pedum Divi Patris conſperſa cruore,
Strictius obſequium præſtandi corde ligato
Numini inexhauſto, vanamq; repellere laudis
Materiem, nam quidquid ei ſciviſſe dabatur
Donanti rerum Domino tribuebat id omne.
Pulchra Reformatæ creſcebat plantula ſtirpis,
Exiguo gignens tenerum de ſemine florem,
Moraviæ lætata ſolô, pars prima Ducatûs
Urbs Princeps Poſſeſsore ipsô Cæſare digna
Fulget OLOMUCIUM, SARCANDRI membra Joannis
Presbyteri quondam Petrini & Martyris unà
Pro fide Divina certantis, ab hoſte perempti
Prodigiis clari nauclerorumq; Patroni,
Magnificâ venerans ſignanter in æde Mariæ.
Lojolana Domus reliquis præſtantior, ignes
Servat Academi, captûs incendia dantes
Mentibus intensô motis ardore ſciendi
Cunctarum pro poſſe ſuo Syſtemata rerum:
Dominicana prope eſt candore notata propago
Præcipuo clauſtri templiq; decore refulgens.
Poſt utramq; domum ac excelſa palatia Divûm
Exiguum ſortita locum pars parva Minorum
Fratrum, Franciſco Patri connubia ſtrictæ
Vitæ deſpondens æternaq; fœdera ſervans:
Grata Capiſtrani viventis fama Joannis,
In clauſtro vivam lingvis capientibus undam
Traditur extolli, quô dum benedictio fontis
Hoſpite fauſta ſtetit, dare cæpit pharmaca quædam
Ægris

Ægris haustus aquæ, plausum cum robore sanis,
Nunc quoquè vis lymphæ libantibus optima servit.
Illum Conventum Provincia nostra Boema
Tempore prolixo possedit & occupat actû,
Ast serpente olim pejore Draconibus ipsis
Hæreseon colubrô non terram verrere viso
sed terrere simul sanctosq; evertere fundos,
Deseruisse locum comptum gemebunda coacta est:
Sic ut ab expulsa Seraphina gente relictum
Per sævos fidei vastatum immaniter hostes,
Ditrechstêin Princeps Romano murice Patrum
Purpureus Præsul, redeunti ex urbe, Polono
Ultro contulerit Gabrieli, flore virorum,
Stirpe minoriticâ & Majorum sangvine claro.
Hic Archangelicus Grodeccius arma paterna
Scilicet accipitrum volucrem, soleamq; crucemq;
Respiciens arcti voluit Prædator haberi
Cœtûs in Lechia plantandi, stante proinde
Prælati proprii consensû vota juvante,
Cum Sociis quatuor Latium per saxa pedestre
Arripuit festinus iter (jam sæcula dena
Et sex post annum quintum complenda fuêre)
A Bonaventura Generali Patre Ministro
Dicto à Secusio securè, comiter, almè
Exceptus Romæ & conamina laude sequuto,
Stricta Reformatæ cænobia gentis in ampla
Italia incolere est jussus cum Fratribus, ipsum
Doctrinis summis celebrem Divina docentem
Ac disceptantem mirata Neapolis, & mox
Virgineam ad claræ prolem Regalibûs illic
Conspicuam laribûs gestantem grande Ministri
Munus

Munus Apostolici venerata, manere precata est.
Post binam messem dum Commissarius esset
Ac Electorum Præses, Provincia Regni
Hungariæ hunc experta virum cêu nobile vinum,
In Caput Electum voluit regnare triennem:
Officio veri Pastoris & instar Abelis
Inter oves Christi cum dexteritate peractô
Ausonias rursûm velox remeavit ad oras.
Consiliô, precibûs moto Rectore Supremo
Patritium tetigit rursûm mandante penetral,
Et cari Patrum cætûs in pectore Vartæ
Oppiduli Præses datus Electoribus, illum
Prælatum digna cum parte reliquit in alto,
Quem ratio meriti fraternaq; gratia fecit
In tantum scandisse gradum: Gravioribus ergo
Proponens intenta viris, rem ponderis esse
Majoris censet, si strictior Ordo Minorum
Inveheretur, adhuc Observans fortè virebit
Pulchriùs, & binus flos unum sparget odorem.
Sed dum plura videt marcescere corda negando,
Quam florere suos sensus ad vota ferendo,
Germina commendat Superis plantanda Deoq;,
Regrediturq; celer septeni ad viscera collis
Sorte futurorum gaudens meliore bonorum
En Duce, Patre simul dominante penatibus istis
Rege Sigismundo ter fausto nomine terno
Nudipedis sacri Carmeli clarus acervus
In Regno steterat, Papâ Regale petitum
Concomitante, viam monstrante, volente, sequente,
More reformato cupientis vivere solvit
Quæsitum gentis, diffusa per extera terræ
Arva

Arva inquit Christo conformia semina, nempe
Arctos Francisci natos, eâ carmina dulci
Carmelô cantante, sonum pars prima secundum
Edit & exultat: subitôq; ad pergama Romæ
Supplicibus scriptis properans humiliq; libellô,
Impetrat à Paulo Quinto Gabrielis amænum
In Lechiam reditum, qui nec labentibus annis
Nec senio parcens, nec visa pericula vitæ
Atq; viæ grandis trepidans, sed commoda tantùm
Communis volitiq; Boni de more revolvens,
Vi Benedicentis Papæ, & diplomate Magni
Fabritii dicti Varalli ut cardine fultus,
Cum sociis ibat fortiq; volaverat alâ
Tanquam Divinum retinens cum robore nomen.
Principe Moraviæ lassatus in urbe quiescens,
Vastatum claustrum possederat Incola non tam
Liber, quàm spartam talem portare coactus:
Collapsam reparare domum vix cæpit, & ecce
Cinctus Discipulo triplici comitante Magister
Intrat olomucium Benedictus, is optima dicens
Verba suis veris confratribus, audit eorum
Mirificos plausus veniensq; ex pectore salve.
Quæris legitimi fuerit quæ causa recessûs
Accessusq; simul? talem mirare subortam:
Lublini præsens de pingui scipio campo
Christophorus celebris (quem scipio & alta regendi
Virga gregem Christi primo signavit honore)
Distentus curis, operandi mole gravatus,
Absorptusq; animô, Benedicti sancta rogata
Aulam decrepitæ Genitricis adire volentis
Vix bene perpendit, mox chartæ grande sigillum
Jusse-

Jusserat apponi, propriâ solidaverat illam
Intimiùs gestante manu, tum corde petentem
Dilectum Patrem propter cordata lycæis
Gesta relicta, dedit consensum ut scriberet ipse
Non modo si charæ Matris senioq; præustæ,
Ast & olomucii cuperet contingere limen
Atq; Reformatos amplexû stringere Fratres.
Is veluti verus pietate ac sorte Tobias
Dum cor Salmanasar Regis clementer adeptus
(Christophorum caput esse puta) quô prima vocabat
Integritas vitæ, zelusq; movebat ab ungve,
Illuc ut tonitru Bułacovscius ibat & Almâ
Rursum desertâ sed mente Parente retentâ
Præsidis imperiis parens sermone secundis,
Attamen effectûs frontem capientibus ipsam,
Antetulit primo postremum ac Numinis usus
Arte, facultatem confecit, & illico trinum
Inseruit socium, Felix MĄCOVSCIUS unus,
Tum Bonaventuræ Doctoris nomine florens
De CORVINORUM cruce TROSCOLAVIUS alter,
Tertius A VILNA PAULUS, tria dona volebant
Cum Duce velle idem, sentireq; faustius omne
Verius & melius, redolet, diffundit odorem
Inter Olomucii cives quisq; Advena Frater
Instar fructiferæ cunctis monstratus olivæ.
Ast cum Moraviæ Mortalibus undiq; mortem
Intentans Mucro sæviret, Claustra nec ipsa
Pacis tum cereris lætari rore valerent,
Exedra digna simul tanto Lectore deesset,
Dau-

Daunius Excellens Vir (quem Germania tota
Præpoſitum venerata Suum Generalis ab urbe
Commiſsâ clarum tunc dexteritate) ſubaudit
Conſpicuum meritis Benedictum & munere cæli,
Indole perfecta, morum face, ſorte docendi
Limen olomucii non poſſe tenere faventer,
Presbyteros Fratres ac ſacra relinquere tecta
Auſtriacamq; jubet ſeſe conferre viennam,
Colligit ex etymo bona mox ventura perampla,
Perſonis doctis cum Religionis honore
Si legat exactus pia claſſica Dogmata Lector.
Nec ſpes mandantem, nec vinctum voce fefellit.
Nam poſtquam clauſtrum titulô & tutamine Divi
Hieronymi fultum novus hic poſſedit Achilles,
Sub ſigno Tanti Coryphæi corde potentis,
Expoſitæ ſancto Scripturæ codice miri,
Unitâ ſtudio celebris pietate Magiſtri,
Semotæ à turmis hominum Cultoris eremi
Ocyus in roſtris Divina legendo, docendo,
Enituit grandis ſubtili mente Profeſſor.
Huic diſceptanti nunc aſceteria plauſus,
Nunc vaſtas laudes Collegia ſumma dedêre,
Exanimes etiam cathedræ cecinerê triumphum:
Urbs velut in quadro poſita eſt Benedictus ad annum
Qatricipem geſtans auguſta lycæa Viennæ.
Sacra Cæſáreâ jam Majeſtate micante,
Jamq; Ducum, Comitum, Baronum ſtante caterva,
Inter Academi Gymnaſtica publica ſcamna,
Cum Societatis JESU ſplendore tributis
Externæ luci libris radiante, pariq;

Flammigero Marti, MARTINO ſtirpe BECANO
Inſtructi protunc ſpectato Præſide belli
Strenuitate animi conflictum audacior egit.
Argumenta ſuas acies habuêre, retundens
Acrem vim, tenuit proprium Reſponſio robur,
Urſio pugnabat, congreſſa Inſtantia velox
Siſtere non poterat curſum; Martinus acutum
Miratus Patrem Benedictum, tela vibrantem
Ingenii penitus quemvis penetrantis hiatum,
Atquè ſatisfieri ſibi cernens magna petenti
In cunctis rebus perplexa trahentibus, inquit:
Noſtrum certamen Dominus DEus Ipſe coronet,
Cujus majorem certando ſequamur honorem:
Utriq; applaudit capiti cum Cæſare Princeps
Quisquè Comes Baro, ſelectus Nobilis ordo,
Occinit Auditor ſaltus & carmina miſcens.
Fauſtus ab urbe redux Gabriel præſensq; Viennæ
(Quô Duce Glivicii domus eſt exſtructa probandæ
Tyronum vitæ, quô Promotore Polonis
Limen Olomucii linquentibus intima ſedes
Fratribus exſtiterat, quô Compoſitore ſagaci
Rerum geſtarum, quô Luſtratore frequente
Heſperiæ frontis, contemplatoreq; cæli
Lumina doctrinæ ac virtutum exorta fuêre)
Innumero & claro concitus honore triumphô,
Tanti Victoris Benedicti jubilat Ipſe
Ex animo lætus, Domino ſua juſta rependens
Pro patriæ plantæq; novæ Patre, Divite partû
Ingenii; quem, templa, fidem ſcindente Lutherô,
Excruciante DEi ſummi Paſtoris ovile,
Atque gregem Chriſti Dilectum ſchismate diro;

Deſuper impoſito ſibi Romæ munere fungi,
Vult, jubet, ac vicibûs commiſſis mandat adire
Glivicii clauſtrum fruticesq; rigare fluentô
Uberis auxilii nati de rore polorum.
Vaticana iterum Grodeccius arva ſenili
Poſt iter emenſum cupiebat tangere greſsû,
Aſt deerat votis robur, vis peſſima morbi
Inter Venetos fines latitare coegit;
TERVISIUM non ter ſed millies organa viſum
Clauſerat expirans Urbs dans ſpiracula vitæ
Hoſpitibus populoq; ſuo, dum morte necatus
Interiit Gabriel nonagenarius, & mox
Cognitus ùt ſanctus tumulô donatus honeſtô,
Illic in pulchro requieſcit fornice Fratrum:
Poſt ſex cum denis, decimus nonusq; fluebat
Sæcula fatalis nec non crudelis hic annus
Qui tantum eripuit, fecitq; occumbere Patrem.
Gente Novatorum fundente repacula firma,
Impavidus currit Benedictus juſſa capeſſens,
Et capit intentam ſignato tempore metam
Cenſet obedire id nanciſci ac protinus ire:
Viſitat extemplò templum, ſacraria, poſtes
Occulti Veriq; DEi tum Altaria, mappas,
Tum Confeſſorum ſellas, ſcanſoria ſcamna,
Interius clauſtrum fraterna cubicula, ciſtas
Æditui, quæ ſit ſcrutando reperta ſupellex?
Et quot inaurati calices numerentur, amictus
Linea complexi vel ſerica fila? deinde
Convenit infirmis hypocauſtum commoda præ-
ſtans,
Omnia munda ſibi totalia compta patere

Con-

Conſpicit exultans cum paupertatis honore.
Unius occaſum celerem dum ruminat aſtri
In ſphæra officii primi, ortum cauſat aliûs,
Et Bonaventuræ Socio faſtigia confert,
Ne ſubjecta ſuo careant Rectore locali:
Cumq; remiſiſſet mundo non pauca juventus
Nuntium, & adſcribi Sancto petiiſſet acervo,
Ac Obſervantes Divino Flamine tacti
Eſſe Reformati voluiſſent, excipit omnes
Sub Vexilla Crucis Chriſti Benedictus, & auget
Militiæ electæ numerum de gente Polona;
Id quoq; venturis non longè evenerat annis
Ut bene ſuſceptam per ſe rexiſſe cohortem
Debuerit, ſummo faciente gubernia fauſta
Numine, dante ſuis concinna cibaria ſervis

ARGU-

ARGUMENTUM.

Idem Pater Benedictus, ex Archidiæcesi Gnesnensi cum duobus præstantibus Theologis interfuit colloquio charitativo Torunensi anno 1645. qui bis ùt Custos regiminis, & semel ùt Minister Provincialis, universa cænobia rexit: ac plenus dierum & Meritorum, in Conventu Sacratissimæ Crucis ad Civilem Gorcam, placidissimè quievit in Domino; & ad usq; in exuviis sui Corporis Integer perseverat.

LIBER SEXTUS.

Laudibûs augustis justos extollere Reges
Antiquæ legisq; novæ sacra biblia mandant,
Quis bona Davidi dare verba videnda legenda
Nollet, & in Domini Dominorum corde manenti
Internam reserare domum pro Versibus una
Pectoris atq; oris flectenda voce canendis?
Quis pro Josiæ flammas ignemq; notantis
Fascibus exuri non posceret? arserat ille
In Templum & præcepta DEi pietatis amore
Consilium ac responsa sequens cælestia semper:
Quis

Quis cernens lacrymas Ezechiæ hâud penderet ægri
A foribus fati placidum remeare volentis
Ad littus vitæ? Robustum Numen adorsus
Dexteritate precum, mox cæperat esse vegetus:
Quem Cultrix Christi Neonati Ternio Regum
Ad tria prociduis edenda Encomia labris
Non faceret promptum? si Gaspar, Melchior, atq;
Balthasar elucet compar, si Balthea, mella
Nomine concludunt orientis, munera donant,
Illis applausûs radios offerre necesse.
Non his Dissimilis Lechiæ Sueciæq; Monarcha,
Cara Sigismundi soboles, Spectator aviti
In castris animi, de sævoq; Hoste triumphi
Uladislaus erat, sceptrô, virtute Parenti
Succedens, soliumq; tenens sub Nomine Quarti:
Cumq; Sigismundus Pater esset Tertius, Ip um
Posteriore frui numerô titulôq; decebat,
Sic primum venerans etymum Genitoris, aliûs
Rem sortemq; sibi pronus sacrare volebat.
Et quia nona dies terris hunc Junia natum
Martyribus Sanctis oblata excepit, eorum
Urbani Octavi palmîs ex postibus urbis
Missa sibi primô feliciter ossa recepit:
Dum festiva foret VILNÆ Translatio Divi
Corporis & miri Casimiri Principis olim
A Patre marmoream structam signanter in ædem.
Præsens Ipse suâ nitida comitante Sorore,
Legatis Papæ Galliq: sequentibûs, Alti
Ordinis Insigni splendorem dante Senatû
Reliquias venerans argentea fercula habentes

Con-

Municipi cuncto monstratas, poplite flexô
Cinctas, devotam duliam gestû testante colebat.
Ast & hyperduliæ cultû materna Mariæ
Viscera stringebat, cujus Conceptio Pura
Distans à primæ crassa nigredine noxæ,
Septenas Decades Equitum de stemmate partas,
Insuper & binos socios sine crimine quovis,
Nobilibus veris innata luce micantes,
Illo consilium præbente Auctore tenebat:
Virginis Intactæ Rex egerat Ipse Sodalem,
Exemploq; Viros præclaros sangvine traxit,
Et caput effectus populi famulantis honori
Tantæ Reginæ, plantis substernere Regnum
Se quoq; cum tota subjecta plebe volebat.
Accedens demum non segnis ad astra gradatim
Supremum bonitate DEum stillante latriâ
Stratus adorabat, pia thura dicabat eidem,
Ac stans pro fidei Romanæ dogmate certo,
Falsos errores firmis explodere causîs
Ambiguitates nodosas solvere, lites
Dissidiumq; nocens studuit componere charô
Colloquiô doctis cordatè & comiter artis
Certandi gnaris injuncto in Viscere tuto
Urbis Torunii, TYSZKIEWICZ Inclytus, Ingens
Tum Samogitiæ tum Vilnæ à pectore Præsul,
Congressûs Præses fuerat, Regniq; Minister
Dux Ossolinius Regis Legatus ibidem
Enituit, sublimis uterq; Georgius ore,
Ingeniô, Zelo, cunctasq; peritus agendi
Res dextro cursû: Doctorum Classicus ordo
Hæreticus steterat, verûm orthodoxa Potestas
Plu-

Pluribus & justis titulis superaverat illum
Queîs Augustinus, Lojola Ignatius, atq;
Dominicus, Franciscus erat Fundator & Auctor
Perfectæ vitæ, mox convenêre tenentes
Sanæ Doctrinæ gladios, Benedictus id agmen
Principe Łubienio mandante Antistite GNESNÆ
Clauserat, hostilis dum tela vibraret acervus,
Et fremitû resonans pugnaret acumine lingvæ,
Consilium dederat noster Bułacovscius, ipsô
Ut calamô certetur, opus fors comptius ibit,
Assensû fines svadentis quisquè probavit.
Quapropter Christo ducente regente Magistro,
Articulos veræ fidei sensumq; sequentes,
Discipuli præcepta ferunt condita salubri
Et sapiente nimis cordi sale, scripta reponunt
Salvificis solidis rationibus aucta, fidelis
Omnis Præceptor tali cingendus honore,
A Uladislao Quarto qualem unus adeptus
Sarbievius JEsu Socius pro tempore Doctor
Annulus ut digito nimirum Regius insit.
Producunt dictante suas Patre Dæmone nugas
Calvino dantes operam impietate scelesto,
Vipereo Succô spumanti & tabe Luthero,
Spurcatâ illorum gradiens ambagine penna,
Non tangebat acû, quod tangere debuit intus,
Hora diesq; fluit, lux altera nascitur una
Luce cadente, propè est elapsus mensis in umbra
Ternum curriculum lunæ reperitur, & ecce
Eclipsim patiens hæc serpentina propago,
Orthodoxa vafrô non solvit dogmata morû;
Vergit ad occasum trigesima sessio sexta,

Et

Et nullos ortus reſponſa adverſa tulêre,
Huſſelman caput hæreſeon velut Heluo famæ
Helleboroſus abit, Coryphæo turba fugaci
Gaudet, diffugiis nequiens evincere cauſam,
Ignotum quærit ſubitò fugiendo triumphum.
Sic aſtuta cohors ingloria fæda receſſit,
Et Uladislao ſucceſſit adorea Regi,
Ac humeris ejus ſánctum portantibus æſtum,
Inconſtans inimica bono fortuna malorum
HuncConſtantinum noviter re & nomine magnum
Perſtrinxit minimè, ſuperi pia vota coronîs
Ac defenſorum fidei cinxere laborem.
Ergo domum Benedicte redi, voluiſſe ſatis ſit
Te cum tam docto comitatu cælica lucra
Quærere, quæſitîs replere æraria divûm:
Hæc audacter ego dum verba ſonantia fundo,
Attonitus capit illa Pater, fervensq; ſalutis
Accendente ſuum vehementer pectus amore,
Hæreticas animas Torunenſes nectere Chriſto,
Et dulci recreare torô ſignanter anhelat.
Cæci in credendo cives ſtupuêre videntes.
Per Celſos grandi fortuna & honore Dynaſtas,
Diſtinctè puchrèq; coli ac civiliter illum,
Quem deſpexerunt non pridem in poſtibus urbis;
Cumq; ſuas ipſi Divus Laurentius ædes
Pro primo parvi tribuiſſet limine clauſtri,
Hunc vix ſuppoſito damnoſis cratibus igne
Non aſſaverunt, demum ejecêre rogantem
Exigui jacienda ſui ſtabilimina tecti:
Exulis en tanti veneratio torret eosdem,
Conventusq; actis præſentem lumine torvo

Cer-

Cernunt, ac renuunt attendere vera loquto.
Ibat honoratus Benedictus àb ordine claro
Nobilium famâ, meritîs, fide, pace Virorum
(Quem per Pontificem laudatus Epiſcopus atq;
Prælatus reliquis probitate & ſorte Mathias
Damalevicio ac Nigrino adjunxit ut albos
Se monſtrent ſocios, & fiant Brachia tuta
Atros errores pellentia luce favente)
Ibat & ad finem non dum currentibûs anni
Menſibûs integris poſt hoc certamen amicum
Colloquiumq; patens, Aquilano Præſide Patre
Franciſco ſupremus ab Electoribus omni
Concordi votô Moderator ſtante ereatus
Octobris ternô decimôq; micante ſacrato
Septem Martyribus noſtris plaudenteq; ſole
Breziniis Divi Patriarchæ nomine fultam
Præſidiô cinctam modicam claudentibus ædem.
Illicò Majoris Lechiæ Provincia vidit,
Quale fuit ſortita caput, miratus & Ipſe
Præcipuam Præſes vocem Vocalibus addens,
Ac confeſſus erat ſe Majeſtate potentem
Cunctas inter aves Aquilam poſuiſſe minores,
Auricomo ſolium Phæbo ſuper aſtra dediſſe.
Præfeciſſe gregi Paſtorem corde coruſcum,
Palmitibus vitem, florem vernantibus herbis,
Militiæq; Ducem: naſcens Cuſtodia vidit,
Quantus in aurora fuerit Benedictus! is omnes
Emeritos viſus meritîs ſuperâſſe Lycurgos.
Scivit Alexander penitus perſpexit eundem,
Propterea fecit ſplendeſcere fronte regendi
Ac gaudens obiit, quia par poſt fata reliquit

Nobi-

Nobile in imperio Fratrum Benedictum & Adamum
Stirpe Pobroſſovium ludentem calculô avitô,
Ambos Cuſtodes varii primordia luſus
Expertos fauſtèq; eludere vana ſcientes.
Et Bonaventuræ bini novêre, Varallus
Italus unus erat, gratus ſociusq; viarum
Patris Alexandri, Vice-Commiſſarius ejus
Defuncti, ſedis ſanctæ vi pondere fultus
Tunc per Apoſtolicum Legatum vota probantem
Legitimi juris, fixos in viscere Regni
Servantem greſſus, tum Troſolavius alter
Sorte Miniſterii Succeſſor Præſide eodem
Poſt triplices ſpicas Benedicti ùt Patris Achates,
Ut quoq; Discipulus tam Præceptoris acuti,
Hi bene noverunt inquam quòd robore zeli,
Divo Franciſco, ſoboliq; ab origine ſtrictæ
Integritate animi ſimilis Bułacovscius exſtet.
Novit & aſſiſtens ſubjectaq; turba Parenti
Ad quævis nato majora gubernia, quanti
Momenti res ferre queat! regnantis amore
Capta timore ſimul, cultô laudaverat ore
Et venerabatur Dominum Patremq; benignum,
Non poſtrema tulit cordatus Rector aperti
Affectûs documenta ſuis munita ſiniſtris
Ac dextris digitîs, teſtatur epiſtola plena
Officiîs veri Paſtoris in ubere clauſtro
Vielunii creſcente data olim, mentibus illam
Ingroſſare placet, vitæ novitate virentis
Grande magiſterium curamq; cohortis habenti
Presbytero Stephano ſcripſit ſignavit eandem.

Sicut

Sicut Præſulibus collatis Cretæ & Epheſo
Quondam Paulus erat Doctor, ſic firma columna
Hunc Inſtructorem ſolidans in munere factus:
Optavit pacem cæliq; faventia dona
Ipſo in principio folii, tentatio carnis,
Dæmonis, & mundi non fert tranquilla novellis
Tempora Militibus Chriſti, bellare neceſſe
Adverſus tantos cum technis turpibus hoſtes,
Pax igitur ſuavis Divinaq; Gratia tecum
Et cum prole nova ſemper manſura perennet.
Eſſe molendinum ac dici clauſura probantes
Complectens juvenes poſcit, molitoris adimple
Perſonale jugum, frumenta locata capeſſe,
Fac opus, enerva vires, mole, contere grana,
Ut dare Cælicolis electa cibaria poſſis
Quòd ſi defuerint tibi fruges aura vel unda
Auxilium ſupplex implora, & mente labora,
Flecte DEum precibûs, cererem qui reſpicit, auget,
Ventos impellit, largos diſſeminat imbres,
Triticeam donat ſegetem Zizania tollit,
Incrementa parit culmos paleasq; fugando.
Dat Tibi proſpiciens inſigne Levita vocamen
Orborum Tutor, gens orphana noſtra ſit ejus
Tuta patrociniô, quæcunq; Levitica clerum
Functio ſacra petit pro multa meſſe metenda,
Meſſor conveniens Operarius impiger illi
Ut faveat, curam gere, reſtituente quiete
Languida membra frui cupio ac mihi vivere ſoli,
In mentemq; annos veteres revocare recentem.
Artus Indigetis quatiebant aſpera ſaxa,
Tu in petra poſitus contundi poſce per illam

Ut

Ut ſic ſcintillans generes incendia grata,
Phœnicesq; crees raras de pulvere mundi;
Prælato dic verba tuo lætiſſima charo,
Mitte meum ſalve ad Fratres Patresq; profeſſos,
Nemo pavore tremat me conſpecturus ab extra,
Et regnare regiq; ſimul ſcio, munere præſum,
Sed ſubsum pariter, peregrè tendentibus opta
Felices cum fine vias, pro Fratribus ora,
Servus ego ſemper tuus infimus intimus adſum.
Sic patriâ linguâ ſcripſit, ſic corde paterno
Clauſit epiſtolium, quicunq; gubernia geſtat,
Hinc inferre poteſt ſcitû digniſſima plura;
Taliter effulſit ſubſellia prima tenendo,
Religioſi inter tenebroſa umbracula tecti
Diffundens Benedictus opes probitatis, & alter
Effectus Conſus, Prudentius Inclytus, ingens
Non pauca exſtruxit propriâ Cænobia curâ.
Omnibus excelſis gratus Magnatibus Hoſpes
Is quaſi vivificans argentea Spiritus oſſa
Inſignes animabat Heros, arbitria, ſenſus,
Utile conſilium, mens aurum ac aura fuêre,
Vivendi cupidis momenta ſalubria donans:
Illô ùt Glivicii celebrato Præſide clauſtri
Per Pimianenſem Michaëlem in fronte locatô
Aptos cum pleno Tyrones jure ſub umbras
Suscipiendi (ipſum divino robore clarum
Marchia & obſervans ejus Provincia Patrem,
Atq; Polona ſui congreſsûs Principem adepta;
Rurſus in Italiam redeuntem ex mente Miniſtri
Nec non Prælati Generalis in urbe manentis,
Alta Reformatos claudens Sileſia vidit,
Aſpi-

Aſpiciens coluit poſt admirata colendo)
Illo inquam moderante inopes Fratresq; Minores
Sorte ſubalternis ſimili, ſic quodlibet auctis
Imperiis ſuperante caput reſidensq; locale,
Crescebat pietas, candor, demiſſio, zelus,
Ornamenta ſtatûs arcti tetigiſſe cacumen
Angelicis affine viris conſpecta fuêre,
Pax interna, externa quies ſtabilita nitebat.
Muneris exacti complente coronide fasces,
Dum palmis aliis oblata eſt Virga regendi,
Cumq; reluceret vitæ tranquillior ætas,
Hanc ſibi mortiferæ Benedictus præscius horæ
Divinæ laudi ſacrans totaliter, annos
Non interruptè æternos in mente tenebat,
Noxarum Vindex, graviter venialia mulctans,
Peccatoris amans tituli, peccata fugabat,
Manſvetus, clemens reliquis, auſterior in ſe
Ipſe peripſema ac anathema volebat haberi,
Indignis ſubjici cunctisq; indignior eſſe
In ſceleratorum numero tumuloq; reponi.
Effuſis precibûs Domini Dominæquè polorum
Cor pulſans, pariter Fratrum reſeraverat ora,
Ut migraturo faveant dexterrima fata,
Et quia Vulneribus Crucifixi immerſus agonem
Optabat capere, hinc rutilante ſub arbore Chriſti,
Chriſtiadûm ſignante decus, fundante ſalutem,
Truncata à parcis ſatagebat ponere membra.
Gorca Palatini Caſtellaniq; Senatûs
Nobile Nomen erat, lechicis annalibus amplam
Inſertam famam complectens gloriam, honorem,
Oppidulo conceſſit idem ſubtile vocamen,
Ac

Ac pro Municipum munimine maxima præstans,
Doctos, Civiles, Urbanos fecit eosdem;
Istam eis Gorcam paupercula nostra patebant
Tecta, patentq; Crucem JESU gestantia miris
Conspicuam gestis, fide dignus is unicus actus.
Contiguis quidam sua lucra novator in undis
Implicito quærens hamô, salientia traxit
Agmina, sed totus blasphemo squammiger ore
Dulce sepulchreto Lignum vitale propinquum
Eloquiô dirô mordebat, cuspide plantas
Atquè manus Christi lingvæ terebrabat acutæ;
Ast ubi sangvineos radios effudit imago,
Cor peccatoris ferientes igne trisulcô
Innumeros causante metus, concussus hic intus
Incola castelli tenebras erroris abegit,
Qui fuerat verus populator & haustor aquarum,
Mortiferoq; labrô lympham sorbebat iniquam,
In Piscatoris fulgentia retia Petri
Contritus cecidit, sancta fide vivere cæpit,
Ac orthodoxis escis potuquè repletus,
Prosper cælitibus convivia consona sumpsit.
Luce salutifera densô recreatus in antro
Obscuri lethi, Benedictus ad æthera voces
Elevat exclamans, O Conditor atq; Redemptor
Esto creaturæ miseræ memor, adde colendi.
Te benedicendi venerandi robur amandi:
Cerne cicatrices belli olim signa cruenti,
Me quoquè cum fato pugnantem protegè, pugnam
Distrahe, & æterna Tecum gaudere quiete
Da, permitte Pater Dominator Maxime, nati,
Mancipiiq; Tui Clemens miserere gementis.

O Pre-

O Pretiosa Parens Hominisq; Deiq; Maria
Virgineo candore nitens Purissima Tota,
Angelicis stipata choris, circumdata cætu
Divorum, Subtilis Ovis Mitissima Pulchra
Ex Te progenitum stellati velleris Agnum
Fac mihi dulcisonô balatû in morte faventem.
O triplex animæ donata potentia Trinum
Ac Unum pro pôsse tuo prece respice Numen,
Noscere, velle Bonum, sortis meminisse perennis
Te decet, hanc debes conspergere fletibûs horam,
Post elingvis, adhuc amplexus basia Christi
Æquivalere docens verbis, veniente sopore
Blandô pacatus requiem, possedit in ævum.
Terna decemq; suæ hic ætatis lustra peregit
Plena piis gestis vitæ fæcunda supernæ,
Sæcula post dena & sex quinquagesimus annus
Quartus erat, lunæ cursûs exordia portans
Martius eniruit, cujus Translatio Sancti
Martyris & Regis Venceslai inclyta quintam
Claudere visa diem celebri splendente triumphô.
O metamorphosis transformans tristia corda
In petras lapidesq; scabros quot semina diri
Martyrii, genuêre vepres tribulosq; doloris,
Verùm jacturam deploret & ejulet ille,
Qui sibi sublatum è vivis non vivere censet,
Usurâ lucis fruitur Benedictus olympi
Civibus adjunctâ, juvat ægros, læta gementi
Nuntiat, & totis præstat solatia membrîs.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Pater Cyprianus Gozdeccius ex Juris utriusq; Doctore, & ad latus PETRI TYLICKI Episcopi Cracoviensis Publico, Notario, Regularis Observantiæ Cultor ac Professor effectus, ad strictiores Divinissimi FRANCISCI Filios Reformatos transiit; tam in, quam extra Poloniam strenuissimè decertavit pro Seraphica Reformatione in hoc Regno plantanda ac manutenenda.

LIBER SEPTIMUS.

Cedre diuturnis vivens ætatibus arbor
Perpetuas retinens frondes foliisq; virescens,
Per cariem & tineas nunquam vitiabilis, expers
Innatæ ramis aliis cum morte senectæ,
Semper odoratæ diffundens germina famæ,
Exornans Libanum, sublimia vertice tangens,
Esto mei minimi formosior umbra laboris,
Ac decus, illius diadema notabile Patris
Quem de funesto redivivum pulvere mortis,
Evoco distinctæ producens carmina laudis.

Is

Is Cyprianus erat cedrô scribendus in albo
Doctorum, Jurisprudentia fecit eundem
Immoriturâ unquam terris splendescere laurô,
In Carodunensi celebri veteriq; Palæstra;
Currebat comitante suum pietate gradatim
Ingenium clarus meritis Academicus, & jam
Nunc Collega Minor, nunc altiús ire coactus
Juridicus Collega fuit, Collegit utrâquè
Arte Magisterii compti fastigia plura,
Nam sibi Præsuleos genuit cum flore favores.
Gloria Pontificum PETRUS TYLICCIUS illô
Tempore sarmaticas cinxit virtutibûs oras,
Quô talem decuit tantis rutilare, Supremum
CULMA hunc Pastorem primò, post VARMIA vidit,
Patria cum binis Grandem venerata tiaris
Gestantem Regni selecta sigilla Ministrum
Obstupuit, subitò CUJAVIA celsa, deinde
Altior in propriis coluêre Cracovia templis:
Integer Antistes sine fuco dignus amari
Per Regem ac Regni Proceres, ex ore benigno
Octavi Papæ CLEMENTIS sumere laudes
Ingenii, zeli, largæq; in sidera palmæ.
Ad Petram crescens viridi Cyprianus honore,
Incrementa tulit nitidæ probitatis in aula,
Exemplar reliquis factus, non mæsta cupressus
Ast hilares gignens fructus apparuit arbor,
Cumq; à Secretis esset roseôquè notaret
Principis Acta stylô, Decreta Voluminis amplis
Insereret chartis, arcana latentia sciret,
Ac sibi contigua Domini penderet ab aure,

Mysti-

Mysticus, abstrusus totus cupiebat haberi.
Contemplans etenim molimina maxima Petri
Præsulis Insignis rectum prendentia finem,
Cordatos animi sensus, prudentia verba,
Perfectum sapienter opus quodcunq; repertum,
Innocuos mores, vitamq; à crimine puram,
Sic sese interiùs solidô sermone movebat.
Spiritualis adest Lux & Pupilla Senatûs,
Solers, Augustus, Devotus Episcopus insons
Quem Cypriane audis, sequeris, miraris, adoras,
Stemmaticis fulget celebris LUBICCIUS armîs
Et Tua vult faustô successû vota lubenter
Tangere, signatam binâ cruce funditùs albâ
Cæruleis soleam mediantem monstrat in arvis,
Ac ternas struthias in pulchro vertice pennas;
Quidni Te Alatum Seraphim sacra stigmata Christi
In cruce pendentis Franciscum quinque ferentem
Amplecti deceat? summamq; volatibûs auram
Scindere conveniat? terreno membra animumq;
Crede polo, cujus stellæ instar Regula Divi
Assisiatensis Patriarchæ, urbs ista Minorum
Fratrum Observantûm cætû ditata coruscat:
Publicus es plena virtute Notarius, ergo
Absquè nota vitæ cursum finire memento,
Privata in cella tractare negotia disce,
Paupertas excedat opes, demissio fasces,
Mendicum, castum pulchrum est humilemq; vocari.
Sic sibi Præceptor, Monitor, Dux Motor ad arctam
Vivendi metodum factus, ferventiûs inter
Bernardinorum Personas undiquè Sacras

Adsci-

Adsciri petiit, donatus veste salutis,
Ac tyrocinii primordia prorsus acerba
Expertus, sævi superatis fraudibûs hostis
Evadens Victor cecinit læto ore triumphum:
Tandem Presbyteris sociatus in ordine mysta,
Dotis honore recens, meritis antiquus & annis,
Quæ meliora forent imitanda, sequenda, patranda
Divinum Numen supplex poscebat ad aras.
Castellum Lechiæ dictum PINCZOVIA, quondam
Esse Reformatis habitandi cæpit origo,
Tecta Mareschalco Regni tribuente Supremo,
Horum cum Multis aliis Hærede Bonorum,
(Quem Sigismundum comitem MIROVIA mirum
Myszcoviana Domus proprium Prænobile sidus
Censuit & coluit) sed non permisit ibidem
Obstans dissensus stabili subsistere passû
Deseruisse igitur pinetum tale coacti
Majores nostri, non citra damna molesta
Externas rursum tetigerunt gressibûs oras.
Flagitium tantumq; probrum meditantis iniqua
Adversæ partis penetrans Cyprianus, amaram
Exhibuit faciem, gemitû præcordia cædens
Innocuis compassus erat confratribus, ac mox
Illorum calcare volens vestigia, sese
GLIVICIUM obtento consensû contulit, illic
Adscriptus numero strictorum lege virorum,
Mæstos lætitiâ, timidos animaverat ausû,
Cunctis ingeniô visus dexterrimus Hospes,
Resq; operandi omnes felici fine peritus,

Hum-

Humano & ſancto ſtudiô cumulatus, in ore
Candidus, argutus, prudens, in mente ſerenus.
Conſilium ſanum Cæleſti Flamine dante
Romam cum binis ſociis virtute politis
(Mlavius Andreas unus doctusq; Sacerdos,
Converſus Didacus fuerat Chrodovius alter)
Inceſſit velox, incommoda pervia trivit,
Ocyùs ut Patriis inſerta penatibus adſit
Grata Reformatis ſtrictiſſima Regula vitæ:
Prolixi callis victis anfractibûs urbem
Appulit, & modicâ recreans ſua membra quiete,
Illis expoſuit commiſſa negotia, quorum
Munus erat dictis aurem præbere benignam
Jusq; elargiri proprium poſcentibus æquum.
Sed reſponsa trahens aſt non oracula lingva
Vaſtum oratori pondus cum Vocibus infert,
Scilicet ut trivii producti terminus ad quem
Is ſit, qui exſtiterat gradienti terminus à quo,
Vel natale ſolum Tutores atquè Patronos
Cauſæ provideat ſensû calamoq; loquentes
Pontifici Summo: talem Cyprianus opinor
Sermonem capiens, quia fors ſuccumbet & amplæ
Fatalisq; viæ reminiſcens, præda voracis
Fiet & atrocis lethi, ſed fallor, eandem
Ille tenet mentem, placidus, perſuaſus apud ſe,
Novit enim celſis exordia motibûs ire,
Vomere difficile eſt ſtivâ, dentalibus occis
Scindere tellurem pro primo germine fructus,
Non ſubitò frumenta feret cultiſſima gleba,
Sudor Aratoris conſpergere cogitur ipſam,
Dura fit exortæ glaciei fractio curſu,

Non

Non leve foſſori fundum reperire beatum
Eſt opus, ut ſtructura queat ſubſiſtere firma.
Sic Romæ præſens, in fronte per ardua tendens,
Præcipuos ſubiit vix non cum morte labores,
Palmari ingenuè gradiens Gozdeccius arte;
Interea precibûs Prælatum flexit, ut illi
Italicos inter poſtes remanere volenti,
Sacra Patri Divo Cuſtodia ſtrictior eſſet
Hoſpitium ſuavisq; Domus, breve limen adeptus
In patriam miſit ſocios, lacrymabilis iſta
Charorum mutuò patuit divulſio Fratrum,
Sed tamen utiliter peragi debebat, in ævum
Felici fruitura ſcopô, Dilector uterq;
Andreas Didacusq; crucis, juga ſaxea vicit
Et lechicas inſtar volucris remeavit ad oras.
Ecce Sigismundus Regni Caput aure paterna
Excipit amborum reducum pia vota Minorum,
Commendat foliis Auguſto pollice tactis,
Tum Domino Papæ, tum Protectoribus Almis
Ordinis & Lechiæ nitidô ſplendentibus oſtrô,
Hos inopes ea quæ cenſent meliora ſequentes;
Coccinei Proceres cum Majeſtate Polona
Indicium bonitatis idem ſensûsq; faventis
Præſtiterant noſtris, binum Sublime Tribunal
Centenos numerans Magnates prima tenente
Stalla Mareschalco duplici & Decreta ferente
Judicium tulerat florens in virgine charta.
Pagellæ generant gratas latoribus horas,
Gliviciumq; gradi mandant, rumore ſereno
Commotus Rector clauſtri Benedictus eosdem
Legatos iterum Saturnia Regna videre

Mox

Mox jubet, informans ſapienter quid ſit agendum?
Excurrunt illi, Germania tota recedit,
Ænitrii fines accedunt, ipſa repente
Frons latii patuit vaſtiſſima Sanctaq; Roma.
Conſcius adventûs Fratrum Cyprianus, avete
Inquit ſinceri feſſiq; labore ſodales,
Vos via longa gravis laſſos hinc inde premebat,
Me dolor orbatum veſtrîs obtutibûs uſſit,
Sed quia non vanum lucrum, non curſus inanis,
Aſt operis communis amor vos impulit ad tam
Ardua pro noſtra libranda negotia parte,
Ergo DEo Summo laudes pleno ore canamus
Qui vos incolumes ſalvos ſervavit ad usquè
Me quoquè ſecurum fecit rectèq; valentem.
Producunt ſocii ſcriptas à Rege papyros,
Ac per Primores lechicos documenta tenelli
Affect*ûs* ſignata ſuis inſignibus armîs,
Cuncta ſtupens gaudensq; videt Gozdeccius, eſſe
Adverſus validos ictus Authentica tela
Aſſerit, ac notus Prælatis inter & extra
Atria jucundæ ſibi Religionis, opimi
Eventûs, fructûsq; boni ſpem ponit in urbe.
A Podio Fidone Pater Silverius illô
Tempore non ſylveſtris erat ſed comis amicus
Quasquè Reformatis cauſas generaliter omni
Procurans ſtudiô, Cyprianus adivit eundem,
Haud tacitas Sylvas at ligna feracia rerum
Eloquiiq; ſacri viridi cum ſorte futuri
In foliis monſtravit ei, quô Patre favente,
Eximias ſternente vias, ducente, tenente.
Et Decimus Quintus tunc Papa Gregorius orbi
Dans

Dans Orthodoxo legem, ſolioq; nitorem,
Et Rota Cardinei Patrum veneranda Senatûs,
Et ſtans Præſuleis cum Cætibus ipſe Miniſter
Ordinis Integri Paſtor, Moderator, Amator,
Non modò clementem Cypriani vocibus aurem,
Verùm & pro placito Regis tribuêre juvamen
Expoſitæ cauſæ; Breve sêu Commiſſio ſanctæ
Sedis Apoſtolicæ in Perſonam mente potentis
Patris Alexandri ſubitò emanavit ut oris
Inveheret noſtris primævam in limine vitam
Divi Franciſci cupientes ducere natos.
Hujus præſtantis Coryphæi Ductor ubivis,
Quadrivii triviiq; comes Gozdeccius egit,
Ut poſt ærumnas, poſt dura pericula, cuncti
Soſpitibûs membrîs aquilonia Regna tenerent:
Quantos in Lechicis laribus tolerare labores,
Sumere quot fructus oblatos acris acoris,
Rumpere quot ſcopulos, montesq; excedere palmîs
Advena debuerat Cyprianus, ſicut amarum eſt
Exitiale malum memorare, ita tangere pennâ.
Ille palam celſis ſtatibus ſtatuumq; Decoris
Fulcris intrepidus pro Fratrum parte loquutus,
Proſpera paulisper, magìs adverſantia ſenſit;
Ille per Auguſtos auditus in orbe Monarchas
Pontifices, Reges illuſtria ſceptra gerentes,
Mitratosq; Duces, roſeo cum murice fasces
Nec non cum violis Nomen ſervare volentes,
Ore potens, rebus præſtans Orator agebat:
Planta Reformati cætûs ut cresceret inter
Sarmatiæ fines ac maturesceret amplis
Arboribus ſimiles fuſura ex viscere fætus.

E vivis

E vivis tandem ſublatô Præſide noſtræ
Gentis Alexandro, Cuſtos virtute regendi
Ipſe ſecundus erat, Matri ſacrata Mariæ
Angelicæ quævis Cænobia parva Minorum:
Et verè menſes vidit regnando ſecundos,
Muneris excubias Perſonæq; intus agente
Cælite pennigero duplici non lugubris arbor,
Aſt mellita ferens patuit bellaria cedrus,
Cuncti ſubjecti capientes illius umbram,
Dulce refrigerium & molle levamen in æſtu
Ac lætos reperêre dies, rigor aſper ab unis
A digitisq; aliis ibat clementia blanda.
Annorum triadem poſtquam perfecit in ipſo
Officii centro, proſperrima tempora nactus,
Ecce gravis trames rurſum ſe ſternit in urbem,
Auſoniæ telluris apex tangendus ab iſto
Sex vicibûs reſtabat, iter faciente pedeſtre
Patre Peregrino communia lucra ſequente:
Quam præceps præcoxq; fuit Cyprianus ut eſſet
Tutor dilectæ Patriæ & Protectio Fratrum
Millenis texenda modîs præconia narrent
Ille minùs curans propriæ diſpendia vitæ,
Non ſex ſed centum Libitinis cæde cruentis
Cædere debuerat, ſit veri hæc actio teſtis:
Ex latii nuper remeans penetralibus oras
Auſtriacas cæpit, verùm ægrotante Viennæ
Dimiſsô Sociô, ſolus tranſire propinquas
Hungariæ partes voluit ſenſimq; Polonos
Amplecti campos, at graſſans Hæreſis atrox
Orci mancipium fædum, non incola terræ
Pannoniæ, furiis ardet, ſcrutatur eundo

Fumi-

Fumida quô fuerint Auctore incendia pagi?
Crinibûs incomptum, pede nudum, prorſus ege-
num
Aſpiciens Patrem, nebulonem cenſet & atris
Carceribus tradit, percontaturquè ſeverè
Prædia num ſævo non ſuffocaverit igne?
Innocuum juſtâ nulla ratione juvante,
Indiciis certîs non invenientibûs aurem,
Inſani virgîs ultricibûs oſſa flagellant,
Diſcerpunt artus, effundunt ſangvinis undam,
Quodſi vidiſſent tunc ignitabula quædam,
Lethali lentoq; rogo ejus membra necâſſent;
Contuſus plagîs, violentô vulnere preſſus,
Iverat exultans, factus pro Nomine JESU
Dignus tanta pati, dederat tolerantia robur,
Agninusq; lupos candor ſuperare rapaces.
Novit, in aurora quæ ſit perpeſſus acerba
Anterior verus Zelotes Turscius arctæ
Confratrum vitæ, quam promoturus in urbe
Pro lechico Regno, per crudos voce latrones
Gente novatores germanos, ungve feroces,
Ardentes rabie, veſanos fluctibûs iræ
Cum fido prenſus captivatusq; Sodale
Impudibundè inopi confeſtim exutus amictû,
Ictibûs, ulceribûs multis immaniter uſtus,
Vix non exanimis ſtagnante relictus in agro;
Sed tamen auxilium promptum gratamq; medelam
Vibicibus tribuente DEo, mox ultima mortis
Limina confregit, ſurgens velociter amplô
Et dextro tetigit Laterani pergama paſsû.
Illic in clauſtro dicto Mons Aureus aurô

Vir-

Virtutum fulvô pretiosus & Ipse Beatus
Bartholomæus erat Salutius, æde sacrata
Discipulo Christi Petro cum Fratribus utens,
Qui Bonaventuræ præsenti jam Obvius extans,
Martyris adscripsit nomen, sermoneq; tanti
Hospitis inpulsus non vanum protulit omen,
Planta Reformatæ stirpis conspersa Polonô
Sangvine, quòd gignet magnos pro tempore fructus
Perfecti placidiq; boni, sic Turscius aure
Felix auspicium sumens, lætatus, & ortis
Fortiùs insudans causæ progressibus, usq;
Ad cineres proprios inter penetralia Romæ
Convivens Sanctis, justorum morte peremptus:
Ævum post sextum decimum duodenus in orbe
Effluvium vitæ illo expertô fluxerat annus.
Prodromus effulsit talis confossus avitâ
Infixâ binæ soleæ pennæq; sagittâ,
Et cruce signatus cæleste cacumen adivit;
Jucundum Cypriane Tibi meminisse laborum
Ejus erat, comitesq; graves tolerare dolores
Concutiens igitur variô discrimine membra,
Nulli momento voluisti parcere, quô Te
Protinus in præstans holocaustum haud sponte dicares,
Ut bene sit Patriæ, casus mirabilis iste.
Sub Casentino Michàële & nomine Summi
Præside Pontificis, nostros jungente Minores
Observantino generi vi req; potenti,
Agmina Selectos Custodes parva regentes
Extingvente simul, diversos corpus in unum
Com-

Compilante artus, casus fatalis is ajo
Mollia nostrorum Majorum viscera rosit,
Corq; tuum scidit, divisit, solvere tantos
Quis poterit nodos? inimicum solvere nexum?
Vincula tu reseca Gozdeccie strenue Samson,
Ordinis eximius Protector in urbe rubensq;
Murice Franciscus stat Barberinus, & adsunt
Plures Prælati Generales, Gordius Ille
Quomodo subtilis sit confringendus acutis
Ensibûs ingenii, te demonstrante patebit.
Egit Alexandri metodô Cyprianus ut ista
Post tot difficiles sensus, post dicta molesta
Unio damna ferens pedetentim rupta periret:
Ingeminante etenim Voces tum Rege Polono,
Principe tum Regis Germano Fratre Joanne,
Nobilitate etiam distincta lucis honore,
Urbani Octavi pectus pulsante Paternum;
Tellurem sanctam Solymæ cætumq; gubernans
Divi Francisci, Laudensis origine Paulus
Laude celebrandus cum dexteritate potentis
Sedis Apostolicæ Legati, venit in oras
Sarmaticas, laqueum trivit, retinacula solvit;
Prisca Reformatis pax libertasq; redivit,
Conveniente novo solidô firmata statutô
Harmonicum psallente ipsis modulamen alauda
A Lauda Paulo laudanteq; Numen Olympi
Cum toto suavem gestum edente agmine Fratrum.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Idem Pater Cyprianus erectione binarum Strictioris Obſervantiæ Cuſtodiarum in Seraphico Reformatas Provincias Poloniæ, invictâ Adverſorum tolerantiâ, ac verè Apoſtolica Arianorum & Sociniſtarum converſione ad fidem orthodoxam incredibiliter lætatus, in Feſto S. Martini Episcopi, humanis exceſſit, humatusq; eſt Cracoviæ.

LIBER OCTAVUS.

Eſt natura viris ingentibus indita quædam,
Ut cum magna ſatis, progreſſibûs ardua, grandi
Aggreſſi fuerint paſsû, majora, moleſta
Viribûs intenſis operari ſedulò curent;
Illud enim valido quod portavêre lacertô,
Flammigeros æſtus quos ſuſtinuere præuſto
Pectore, vel ſubitò præceps Oblivio delet,
Vel celer extingvit conatus maxima tentans.
Sic avis expanſis dismembrans æthera pennis,
Celſiùs aſſurgit, ſummum petit, alta relinquit,
Deſpicit amborum cunabula grata Parentum,
Emensôq; ſolô tum nubibûs occupat aſtra:

Sic

Sic ſol purpureo comparens vaſtus in ortu,
Et pulchrum admirans in ſe naſcente Gigantem,
Auguſtæ ſpernit magnalia propria ſphæræ,
Reſpiciensq; poli ſtellata cacumina, cauſat
Maturam mediamq; diem, tangendo ſuprema
Immemor incæptæ lucis diffundit adauctam.
Non res exiguas noſter Gozdeccius egit,
Dum ſibi mox ſacro ſignata pòëmate geſta
Exhibuit, manifeſta ferens momenta laborum,
Aſt viſa hæc Fratri fortaſſe minora Minori,
Qui meliora ſequi ſemper charismata ſcivit,
Finitisq; ſatis magnis majora patrare:
Ille Reformatos non obſervantibus eſſe
Subjectos docuit, ſed vivere poſſe ſeorſim,
Formalemq; modum vitæ debere tenere.
Multiplici fortiq; nimis ratione probavit;
Ille procul ſomno fugiente á lumine vultûs
Intenſas animi vires vigilando vibrabat,
Ut Lechiæ duplex Cuſtodia florida lucens,
Pulchriùs excreſcens fieret Provincia bina,
Et cum robuſtus fuerit ſermone, potensq;
Conſiliô nullis frangendo motibûs oris,
Italicis ſolida perſuaſit Patribus arte,
Ut ſimul expeterent pro ſtricta gente regenda
Pollentes tituli meritiq; nitore Miniſtros;
Aggreſſis cunctîs opus hoc inſigne, libellos
Imbutos humili ſcriptô pandentibus, en mox
Annuit Antiſtes Supremus in orbe Monarcha
Demiſſis inopum votis juſtisq; Clientum.
Junctorum fuerat certamen tale virorum,
Unitim precibûs pugnatur, & ecce triumphus

Con-

Conſultore bono Cypriano ſtante patebat;
Is tamen adverſos pro ſanctis actibus ictus
Debuit interno ſensu tolerare frequenter,
Innocuos etenim mundus plerumq; nocentes,
Et reprobos putat eſſe probos, culpisq; notari
Inculpabiliter viventes, crimina quædam
Adſcribit puræ menti ſine labe manenti;
Impietate pius Gozdeccius obrutus, umbrâ
Peccati tectus fuerat, probitate refulgens,
Aſt patiente animô noctes pellebat opacas
Flagitii cunctiq; mali, qui noverat eſſe
Invidiam Comitem virtutis, ſaxa doloris
Portavit lætus, ſibi multùm dulcia ſenſit,
Inſultusq; graves frangens, hoſtilia tela
Audacter reprimens, evaſit claſſicus Heros.
Roboris invicti dedit argumenta videndo
Hæreſeon turbam cultricem turpis Arii,
Divinæ Triadi, Chriſto, Superisq; nocivi,
Nuper in æternum morali morte necati,
Armîs errorum cauſare micantibus Aris
Templorum, lapſum proſternentemq; ruinam;
Primitus ingemuit, lacrymîs pulsavit Olympum,
Implorans ploransq; ſimul pro corde juvando,
Ore gubernando firmis tutisq; tuendo
Eloquiis, Zelô ac tenera pietate replendo.
O Verbum dictum, perceptum Mente Paternâ
O Genite Ingeniti Genitoris & Unice Fili,
Fac ut conſtanter bona poſſim dicere Verba,
Ac pro laude tua fructus generare ſalutis;
En decimo ſexto currente revixit in ævo
Per duodena jacens in pulvere ſæcula ſævum
Schis-

Schisma cruentatis Divorum pectus Arii.
Hoc ſine campeſtri Campanus flore Joannes,
Hiſpanus Michaël ſervetus, ſiculus abſquè
Fronte Valentinus gentilis, Paulus ab urbe
Mediolanenſi ducens primordia vitæ
Alciatus dictus, Socini duo, Lælius unus,
Atquè Nepos alter Fauſtus patriâq; ſenenſes
Infauſtis renovare modîs ſtuduêre, ſequaces
Obtinuêre viros multos ad peſſima promptos:
Jam Tranſylvanas partes noſtrasq; Polonas
Hæreſis exagitat, fraudes, mendacia, technas
Inſtillante animis tenebrarum Principe crudo.
O utinam verſuta cohors ſuccumbat in arvis
Conflictûs, quem dante tuas DEus optime vires
Ordiri cupio, ſit diſſertatio felix,
Concio quæq; ſuô ſpeciali fine fruatur;
Sic ſacer Orator factus Cyprianus, id egit
Effuſis precibûs, quod feſtinanter agendum
Expetiit, veris cæpit convellere falsa,
Veſter ariani ſociniſtæ ſenſus arescens,
Orci Mancipiis ſociatus, & horridus auri,
Eſſe creaturam Verbum, non eſſe perenne,
Nec Deitate Unum cum Patre fatetur inique:
Aſt Pater æternus ſi Conditor atquè Creator
Eſt verbi iſtius, cur fecit cuncta per Ipſum?
Quare in principio cælum terramq; creavit?
Cur proprio verbô totum firmavit olympum,
Virtutemq; ſuo de Flamine contulit illi?
Cur naſcens ex ore DEi ſapientia Patris
Ante creaturas omnes ſibi vendicat ortûs
Primatum excelſum? cur ſæcula facta per illam?
Cur

Cur verbum post se factas traxitq; creatas
Res invisibiles sensuq; patente videndas?
Quodsi est divinum verbum à Factore, profectò
Verbi non facti monstrari debet origo,
Ut sic processus pereat sine fine movendus,
Semper enim facto de verbo quæstio restat,
An per id aut illud verbum sit origine factum?
An verò per se fieri natale tenebat?
Quòd DEus existat superans Ens entia per quem
Cynthia, sol, stellæ, cælestia corpora, demum
Sublunare genus maneant fabricata, probatur
Non factum, haud genitum, non productumq; creatum:
Ergo per æternum verbum quodsi omnia facta,
Infectum sanâ & justâ fide creditur illud:
Æthera si verbo Domini firmata perrennant,
Si polus, & tellus sunt prima fronte creata,
Siq; creaturas verbum præcessit ab ævo,
Unum si cum Patre DEum se dicit, in ipso
Esse, ipsum pariter sibi si demonstrat inesse,
Inde coæternum meritò laudare necesse;
Quodq; in Personis eadem ipsa Essentia regnet
Admirabiliter, lingvis animisq; fatendum.
Hinc ruit Hæretici vestrum systema nefandum,
Quô verbum Patris confingitis esse creatum,
Corruat hoc aliud, quod spargitis interhiantes
Municipes terræ blasphema voce docendo
Christi membra animâ propria caruisse, vicesq;
Illius gessisse potens per sæcula verbum.
Nam cum totalis natura humana duobus
Constet principiis unitis, corpore nempe

Et præstante animâ vereq: realiter ac non
Morali nexû junctis, & Hypostasis Una
Æterni Verbi perfectus & Integer exstet
In se homo, cum membris animam concludere debet:
Crimen Ari cognosce tuum si Spiritus in te
Verus adest donans aurîs vitalibûs artus,
Intus & exteriùs coagens, opus omne gubernans,
Si censes hominem te ipsum totaliter esse
Nec per verbum animam suppleri errore scelestam
Sacrilegamq; tuam, quid sentis decide quæso,
Si primum dicis, talem arbitrare fuisse
Christum, qui similis nobis inventus ab Alma
Virgine Matre sua post partum cultus amatus,
A Pastore rudi & trino sapiente Monarcha
Pauper adoratus, pannîs vestitus, honore
Prociduo redimitus erat, vidêre jacentem
Hunc Hominem cuncti, DEus autem Verus ab ilis
Est tactus fidei viventis luce supernâ:
Asserti alterius si sis defensor iniquus
Cur pressus tantîs erroribûs attrahis umbram
Peccati mortisq; tuæ pejoris avernô:
Quod si animam Verbum supplêsset in ossibus istis,
Quæ retines Fatalis Ari, non impius esses,
Non fædus lingvæ gladiô, decuisset honesta
Te Verbum cæleste loqui, quod sanctius ex se
Angelica nec non humana mente refulget.
O Ponens animam Dilectam Maxime Pastor
Pro teneris Agnis hædisq; procacibus, omnes
Commissas qui pascis oves, das Corpus in escam,
In sacrum potum pretiosi Sangvinis undam,

Hæreſeon turmas errantes duc in ovile
Ut gratis ex ore tuo dent vocibus aurem
Te Dominumq; Unum noſcant unius ovilis.
Vix finem tetigêre preces & fervida dicta,
Fortis arianæ ſectæ Promotor, & artis
Dæmonicæ Cultor, Dux Archimagiſter ineptus
Ad reſponſa Patri Cypriano danda repertus,
Obſtupuit, tacuit, fauces convictio clauſit;
Aſt melioris ei vitæ reſeravit apricos
Poſtes, labra ſilent, ſed cor compunctio pulſat,
Errores deflet, lacrymisq; piacula tollit,
Præceptor ſcelerum, præcepta dolore refellit,
Unquam Diſcipulus Plutonis reſpuit eſſe,
Expoſcitq; ſequi veſtigia lucida Chriſti.
Tanta Ducis pleni vitiis converſio, facta eſt
Ductrix multorum Sociorum criminis ejus
Ad cultum vivæ fidei, qui Præſidis omnes
Exemplô rarô moti geſtisq; ſtupendis,
Crediderant Chriſtum Divina ex Mente Paterna
Progenitum Verbum, quà Hominem conſtare reali
Immortali animâ, tum pura carne Mariæ
Virginis ex utero ſumpta, tormenta ſubire
Pro tali aſſenſu & crudelia fata parati.
Infixiſti illis firmos Gozdeccie clavos,
Inconcuſſibiles vehementibus ictibûs ullis,
Sic ut porrectos de Cælo frangere durum
Sit ſtimulos ipſis, nemo tibi calcitrat, ergò
Viciſti felix, Superis Victoria grata
Eſt tua, nunc ſævas reſtat tibi vincere Parcas:
Sed qualis fiet Cypriani ex morte triumphus?
Notitiæ Cupidus ſcrutari & cernere poſco.
Unde-

Undecimâ menſis currentis luce Novembris
Præſuleis Divi Martini faſcibus ignes
Accendente ſacros, fuerint quæ facta? revelo:
En probitate ſenex, meritis grandævus & annis,
Eximius vitæ Fratrum communis Amator
Ut fructûs cæli, fulcri pretiiq; ſalutis,
Illorum precibus proprias conjungere diſcens,
Cum meliori aliis (quanta eſt oratio mentis,
Aſcenſus animæ pulchros ad Sydera monſtrans,
Uniriq; DEo formans) ſtuduiſſet adeſſe,
Moreq; conſueto conclave intrâſſet ad uſum
Alvi tum cordis ſpectans, mox Patris imago
Sancti Franciſci, frontem conclavis adornans
Decidit, adſtantes caſum mirando, futuram
Auguriô quodam cenſent ſignare ruinam.
Id non Obſervans Gozdeccius aſpicit intus
Attenditq; ſibi, meditari quomodo poſſit
Firmius, & paſſi veſtigia tangere Chriſti,
Sub cruce labenti Domino ter membra cruentô
Vulnere mortifero quaſſanti condolet, iſtum
Intenſo lapſum fervore recogitat, atquè
Iconicum caſum non advertendo, quietam
Contemplativæ vitæ dat ſuaviter, horam.
Illa tranſactâ totum quod contigit ipſi
Index affectûs reſerat narratio Fratrum,
Ac confidenter dicit, fors caſus hic exſtat
Fatalis tibi Chare Pater celerisq; ruinæ:
Nuntius exitii quem non triſtaret acerbi?
Quam faciem pallor non inveſtiret ab umbra
Lethali veniens, ſi vivere dulce videtur,
Tunc mortis meminiſſe timor, dolor, angor amarus.

Aſt

Aſt mæſto rumore caput non ſentit aduri,
Nos os mutari, non cor formidine ſcindi,
Undiq; tranquillus Cyprianus & aure ſerena
Excipiens dictum, totus lætiſſimus inquit:
Sum culpas hodie confeſſus, tollere ſordes
Effuſis ſtudui lacrymis, delector adepta
Juſtitiâ, mecum fiat Divina Voluntas;
Inclytus Antiſtes Turonis velle volenti
Conformare DEo conſueverat, ergo ſacratis
Paſſibûs illius gradiens tutiſſimus ibo.

O veneranda probi Patris reſponſio quantum
Pondus habes, ſuperas heroica geſta virorum,
Ille ſuos nævos interni Judicis alto
Subdidit arbitrio, fletû gemitûq; rigavit,
Excuſſit maculas, venialia terſit, & auxit
Donum gratuitum, Divini verus Amicus
Numinis, ut Patris pleni bonitate ſuprema
Natus adoptivus factus Dilectus Achates.
Non igitur trepidando mori permotus amore
Mirifici Regis Regum Dominiq; Benigni
Se veluti ſuavem generans Ambroſius hyblam
Geſſit in extremis, quia pauper & integer inſons
Dulce ſibi meritò ſic exſpirare putabat:
Protinus ad ſacrum properans Altare Miniſter,
Innocuum precibûs devotis obtulit Agnum,
Cælica pro grandi trivio convivia ſumpſit,
Angelicis dapibus recreatus, pabula menſæ
Tangere non curat, prorſus prandere recuſat,
Si quæ larga Manus bellaria chara dediſſet,
Hæc contemptibilis bolus non utilis eſſent.
Mens ſummo fruitura Bono terreſtria ſpernit.

Exter-

Externas epulas refugit ſatianda ſupernis,
Deliciasq; poli contemplans rumpere nexum
Inter membra petit, tandem meditando perennes
Escas Divorum, ſe perluſtrando ſuumq;
Hac in valle ſtatum, cecidit Cyprianus in ictu
Carporeæ lucis prævisâ ſorte cadendi
Sat felix dextrâ per ſæcula ſtante coronâ.

Mirantur caſum Fratres, mærore premuntur.
Proſtratis palmas ſupponunt oſſibus, omni
Conatû cupiunt collapſâ juvare, levare,
Sed dum fatalem non poſſunt ſolvere caſum,
In gemitus lacrymasq; ſimul ſolvuntur, & ajunt
Cur tantum cecidiſſe Virum libitina volebas
Qui nos in lechico fecit ſubſiſtere Regno,
Unius Anchiſæ fuerat Salvator ab igne
Claſſicus Æneas, meruitq; celebria laudis
Carmina, quot famæ, ſine morte vigentis honoris.
Verſus Eximius Pater iſte capeſſere debet,
Qui per mille rogos vaſtos innoxius ibat,
A noſtrisq; oculis incendia ſæva removit;
Ille Reformatos ut nulla attingere flamma
Audeat, extinxit ſcintillas rore laboris,
Demulcens animos tulerat ſolamen in æſtu,
Ut procul â dira valeamus abeſſe ruina,
Se columen fulcrumq; dedit, molimina fregit.

Archivum primus ſcribens, annalibus ortum
Hiſtoricâ tribuit pennâ, Provincia multùm
Propter notitiæ radios obſtringitur illi,
Poſteritas ob lumen erit gratiſſima, totus
Ordo Minoriticus propter prudentia geſta
Sanctaq; debet ei nimium devinctus haberi.

Studio

Audio quid rudium Fratrum ſincera loquetur
Simplicitas poſt fata Patris ſolidiq; Magiſtri?
Aſt nil percipio, nam conquaſſata dolore
Verba ſonum nequeunt producere, germinat intus
Solos triſt itiæ conceptus pectus, & inquit:
Siccine disparet melior gignente Parente
Alcides noſter? qui cuncta arcana ſciebat,
Conſiliô nobis monitoq; ſalutis adhæſit,
Ejus colloquiô lætari, vivere quoddam
Suave fuit, reſerare ſui penetralia cordis
Illi ſcrutanti Myſteria ſacra polorum,
Fructus erat fauſta Paradiſi ex arbore ſurgens.
Hunc non inflavit ſurſum ſapientia ſcandens
Aſt inſtar Zephyri perflaverat abdita noſtræ
Mentis, ut ad captum fuerint narrata per ipſum;
Demiſſus doctusq; ſimul, ſapiendo modeſtus,
Exercendo humilis, mitis monſtrando patebat,
Nos hebetes, ſegnes, lucente quid absq; Minerva
Incipiemus, erit ſine Directore ſereno
In cerebro fædæ noctis caligo quiescens.
Sed domitet veſtros ſingultus gratia vultûs,
Plausûs non planctûs momenta beata tenete
O Socii fluctus angorum corde ferentes:
Filius Andreas Tienæi Patris ad Aram
Exanimis viſus, ſanctis animabus adauctus
In Patria regnat, ſimilis Cyprianus eidem
Provisâ ſubitaq; fuit dum morte, putarem
Horas lætitiæ vobis debere favere
Feliciq; die Martini Præſulis eſſe
Strenam mellifluâ reſonanteq; voce canendam.
Is tamen in caſſum ſermo eſt, perſvaſio nullum
Robur

Robur habet, Fratres vix ſunt cantare capaces.
Æternam requiem præcor ſcindente dolore,
Strena locum tempusq; ſuum non invenit, illi
Funebris occurrit cum triſti carmine ſcena,
Membra ſuburbana tumulantur in æde propinqua
Exiguo clauſtro, verúm occultare ſepulchrum
Non potuit luctus queſtus lamenta virorum.
Illìc innocuæ veteri de lege Suſannæ
Delituit titulô meritisq; ſimillima Virgo,
Nata Stanislai Genitoris Amenda vocati,
Et Freſeroviæ Catharinæ Matris acutæ
Ingeniô, fuerat lux utriusq; Parentis:
Extera Regna Pater luſtrando politus & æqvus
Extitit innatos conatus arte juvante,
Illum Pannonius, Germanus & Italus eſſe
Eloquiô geſtisq; parem cenſebat adorans;
Sed Maximilianorum frons maxima Cæſar,
In Stanislao contemplans ſplendida dona,
Ejus contulerat toti nova ſtemmata genti,
Nobilitate domum germanas inter avitas
Progenies pulchro clarescere fecit honore.
Moxq; Byzantinam proprio conjunxit in urbem
Legato Socium curſûs, pretioſa ferentem
Munera, quæ imperiô Turcis ſoliôq; coruscans
Solimanus parti lætatus origine natì
Cerneret & caperet, teſtantia gaudia dextrì
Officium cordis, gratâ perpenderet aure;
Inde Stanislaus Græcos Syrosq; libenter
Cappadoces, Cives Ægypti promptus adivit,
Et ſanctas Ædes prono dignatus honore,
In Lechiam regreſſus erat, jucundior Hoſpes
G 4 Eruit,

Enituit, dum plura oculis expertus in orbe
Ad praxim insolitam mira ratione reduxit.
Hinc inter Regni Magnates sangvine celsos
Rege Sigismundo votante adscitus, eidem
Charus & acceptus, commissa metallica plumbi
Argentiq; loca in Domini bona lucra regebat;
Et memor obtentæ de Possessoris Olympi
Tellurisq; DEi fortunæ, solvere justa
Pro faustis cæpit vitæ progressibus illi:
Ilcusiense igitur pro caro pignore Templum
Ac Lauretanæ dives Sublime Mariæ
Stirpitus erexit consecravitq; sacellum.
Unica tam Superis addicti Filia Patris
Hæres thesauri, famæ, tituliq; Susanna,
In manibus Craciæ Martini Antistitis urbis,
Virgineum florem Christo vovendo dicavit;
Et quia Sponsa DEi purissima Barbara Martyr
A Sociis JESU colitur Patrona localis
Propterea carnis mentisq; sacraverat illi
Martyrium, ac votum quod casto emiserat ore
Selecto populô præsente stupente fideli,
Indiciis vitæ sanctæ firmavit ad ipsos
Efflatus animæ; sint tam jejunia stricta
Quàm sua mortificans afflictio membra probatus
Testis & augustæ cultus pietatis, amorq;
Divinæ Triadis, Christi Genitricis in horas
Ac momenta magìs crescens honor, Ordinis ampli
Municipum cæli veneratio crebra tenella
Dent argumentum solidans pulcherrima gesta.
Si mercede poli dignissima plura Susannam
Scire velis patrâsse, tibi veraciter, ajo,

En tulit ægrotis plenum bonitate levamen,
Obsequium charum tribuens, alimenta ministrans,
In miseros effudit opes, ditavit Egenos:
Tutelâ Patris Francisci fulta colebat
Hunc ùt præeipuum succurrentemq; Patronum,
Illius natis interna negotia quæquè
Crediderat propriæ curamq; salutis, & Auctrix
Facta suburbanæ primæ totaliter ædis,
Effigiem gemmis aurô nitidisq; lapillis
Cinctam dilectæ Matris Dominæq; Mariæ,
Particulas ligni Crucis & gaudentis eâdem
Indigetis Regni Casimiri Principis olim
In per se structo Templo claustroq; Minorum,
Ornamenta sui tandem pretiosa Sacelli,
Corporis exuvias demum defuncta locavit.
Sic Magni virtute sequens exempla Parentis
Actus & vitam non tantùm moribûs æquans
Ast etiam superans, Argentea Virgo refulsit,
Et roseum Sponso JESU servavit odorem,
Intacta in vivis, post fata remansit in ævum
Integra, flexibilis, fragrans solatia præstans:
Ipsa licet nequeat patrio de stemmate nosci
(Ut Lojolani nati Macovscius Unus
Alterq; impressus Gaspar Niesieccius ajunt
Non tetigisse suo visû decus ejus avitum)
Attamen insignis generis splendore micabat,
Nobiliumq; astris probitatis lumina junxit.
Hanc post sex spicas in Cælica Regna sequtus,
Imponi voluit tumulo Cyprianus eidem,
Ut qui Devota cum Fundatrice tenebat
Innocuæ columen vitæ, nec pulvere terræ

Secerni ſeſe permitteret, illa Mariæ
Unâ præceſſit Natalem luce Beatum,
Deliciis gignenda ſacris is more Minorum
Grandia prægreſſus Didaci ſolemnia Divi:
Mille & ſexcentos tunc quadrageſimus annus
Ac nonus comites habuit, dum membra ſopore
Perpetuô ſtrinxit Gozdeccius, occine Muſa
Carmen amendoviæ Caſtæ vocale Suſannæ,
Metra trium Patrum cecini quæ affixus honori
Jam taciturnus amen pronuntio, claudo loquelam.

HECA-

HECATOMBE
Æviternæ Gratitudinis
PRIMA
GREGORIO XV. Pontifici Optimò pro introducta in Poloniam Reformatione Seraphica.

Pontificum fœcunda Parens Bononia digna
Laudibûs extolli melioribûs, inde quòd omnis
Optimus ac ſummus bonitate ſit orbis & urbis
Papa Caput, tales Lambertus Honorius, alter
Gerardus lucens sêu Lucius ambo ſecundi,
Boncompagnus Hugo, ternusq; Gregorius ultra
Denos Hæredes tituli, Baptiſta Joannes
Ex Facchineltis claris Antonius Inſons
Dictus mox Nonus numerô Innocentius, atq;
Hos quatuor Quintus decimusq; Gregorius ornans,
Enituêre Viri bona maxima mente ſequentes.
Ultimus eſto meæ Princeps in margine vocis,
Te decimum quartum Benedictum (Proſper is ante
Lambertinus erat Concivis) ſuave vocare,
Qui Succeſſores meritis virtutibus æquans,
Proſpera ſenſiſti ſemper terrisq; dediſti
Tempora, feciſti populum ſal lambere vitæ.
Aſt majora Tibi debent encomia ſcribi
Nam dum Cardinei duo Patres ſede vacante
Poſt Paulum Quintum Romanum ſtirpe Camillum
Cum

Cum Bellarmino Camporius intima vota
Sed tamen ancipiti paſsû currentia haberent,
Te comparentem tangens Electio certa
Illicò lætari Papali fecit honore
Qui bellare minis camposq; involvere telîs
Nescieras in pace locum ſedemq; capeſſis.
Tertius & decimus nón vana Gregorius Augur
Vaticinabatur, quô Directore Petrinæ
Cymbæ geſſiſti Grandis Capitolia Judex,
Hocq; gradum primum ſuprema ad culmina munus
Cælitus instructus fauſta cum ſorte daturum
Intuleras, felix dextræ Ludoviſie luſus
Fortunæ fueras expertus, Purpura ſacra
Venit ab Octavo Clemente, Tiara Paternis
Ædibus allucens Tibi Paulô oblata favente,
Quam legum ambarum ſtudium Te claſſice Doctor
Illic in veteri fertur meruiſſe lycæo.
Sic in Pontificum ſolio rutilante locatus,
Tempora ſic trinis monſtrans redimita coronîs,
Non modò ſinceris Chriſti Cultoribus ampla
Dona ſalutiferæ meſſis lucranda dediſti,
Non modò Regnorum ſoles ad Schismatis umbras,
Noctesq; Hæreſeon pellendas lumine veræ
Plantandæ fidei traxiſti, nobilis auri
Argentiq; ortu recreaſti æraria mittens,
Verùm ſolus oves errantes Paſtor ovili
Impoſuiſti uni generatus Apoſtolus orbis.
Per Te Divorum faſtis adſcripta relucent
Nomina quinque ſuos telluri edentia plauſus
Philippus Nerius florens, Iſidorus Arator,
Xavier, & Lojola Pater, Tereſia Virgo;

No-

Noſtrum cum Hiſpanis celebrans Alcantara Petrum,
Stricta Minoritis vivendi jura ferentem,
Atquè Reformati cætûs novitate Parentem,
Protinus obtinuit Te concedente Beatum:
Nunc Papa Nonô Clemente ferente ſtatutum
Tota hunc ágnoscit venerans Eccleſia ſanctum.
Primus Hugolinus (Comitem quem ſignis Clarum,
Cardineum Patrem Romæ ſacra Purpura vidit,
Oſtia Præſulibûs Magnis coluêre priorem)
Ordinis Electus Protector ad intima vota
Divi Franciſci, Genitorq; vocatus ab illo,
Et tenero ſemper donatus amore, timore,
Poſt Summus Paſtor nonusq; Gregorius orbem
Ex ovibus Chriſti congeſtum rexerat, ac res
Quasq; Minoriticas propriîs majoris habebat,
Concilio Fratrum generali interfuit omni;
Religioſorum ſol, Cynthia, ſydera terræ
Franciſcus Patriarcha Parens, Antonius ejus
Filius Inſignis, tum Tertia Nata coruſcans
Hungariæ ſoliô vitâq; ornante coronam
Eliſabeth, numero Divûm meruêre per Ipſum
Inſcribi & poni cætûs cæleſtis in albo:
Prima hunc Auctorem nitidiſſima Regula Claræ
Altera ſcriptorem noſtro dictante Magiſtro
Patreq; fundentem lacrymas patuiſſe fatetur.
Par Decimus quintus nono bonitate fuiſſet,
Tantaq; pauperibus nobis vel plura dediſſet,
Ni fatum præcox obicem poſuiſſet acerbum:
Sat tamen, in brevibus momentis tempora longa

Clau-

Clausit, dum solidum Breve consignavit ut isto
In Regno fieret nostræ plantatio Gentis.
Nomen Alexandri sacra quia traxit ab unda,
Fortia consuevit robustaq; cuncta patrare,
Prima Rudimenta exhausit spectante Parente,
Mox Societatis JESU Collegia bina
Sicut Olympiacas elegit in urbe Palæstras,
Selectasq; bibit cum puris moribus artes:
In patria demum Præceptor Dogmata callens
Comptiùs effulsit semperq; suprema gradatim
Tangens fortunâ ingeniô vitaq; probatâ
Ducente & monstrante viam, decreverat illud,
Quod melius sensit Bononia Mater agendum.
Christiadas veros Divini luce favoris
Donavit celebrans felices cælitus horas,
Multos evexit dignos ad Culmen honoris,
Ac per Alexandrum Patrem Fratremq; Minorem
Convenientem etymô bona fausta creavit in orbe
Sarmatico dic ordo palam Strictissime Rex me
Huc introduxit, Cellaria contulit, inde
Exulta, lætare, tui memor esto Monarchæ
Dilige regnantem in cælis, sed nullus amoris
Finis erit, vivens in corde Gregorius & nunc
Cunctorum nostrum, vivetq; perennis in ævum.

SECUN-

SECUNDA

URBANO VIII. Pontifici Maximo pro Erectis binis Poloniæ simul cum viginti tribus Italiæ Custodiis Reformatis in Provincias.

Flos Florentini Trabeate MAPHÆE Ducatûs
Barberinorum Cultissima Gemma Senatûs
Nominis atq; Domûs Majestas, Gloria Splendor
Orbis & urbis Amor, gestîs Urbane polite,
Octavô celebrate gradû Urbanissime Papa;
Te mea penna sequi præsumit, parce Beatis
Allucens Patribus nitenti scandere summa,
Pulchra Pöëtarum cinxit tua Tempora laurus,
Quis neget exiguos me posse annectere versus
Præsuleis plantis pro Tanti Vatis honore?
Optima Majorum mens & convelle Tuorum,
Agmen apum propriis armis insculpsit avitis,
Mellifluæ sortis sibi cognatisq; futuris
Augurium referens, nec fallax exstitit auspex,
Nam Decimusquintus dum Papa Gregorius umbrâ
Fatali tectus tumulo sua membra dedisset,
Quinquaginta & quinquePatres cum murice fasces
Cardineos nacti, pro Successore creando
Ambiguô hærentes animô, signantia Summum
Cælica Pontificem documenta petendo requirunt,
Mox Examen apum, Sanctum in conclave virorum,

Bar-

Barberinorum Genitrix Sacra Tuscia misit
Quod cum pennarum plausû suaviq; susurrô
Arridens Domui, meritis redimite Maphæe
Te circumdâsset, muro voluisset ad usq;
Adjungiq; loco Tibi charo, donec in altum
Promotus Petri solium per vota fuisses.
En Roma Urbs protunc facta est Apulia quædam
Ac Electores Hyblæo Nectare plenos
Continuit, qui dulce genus solaminis inde
Sumpserunt, quia Papa gregi mel tradet in escam:
Electi Pastoris apes lætantur honore,
Re bene conclusâ proprias tolluntur in auras.
Ast Urbanus apum contemplans omen, haberi
Mærens & gaudens, metuens audensq; volebat,
Quapropter Domini sensû cupiendo probari
Hoc opus, oravit supplex in limine Templi;
Ut si Cælicolæ spectarent prorsus ineptum
Regni Pontificum, privarent illicò vitâ,
Verùm Divinos nutus & jussa sequtæ
Expertes rationis apes, ut fixus in ampla
Sanctæ Sedis apex sit Tanto Tempora Patri,
Prædixêre satis; Vigesimus Annus & unus
Regnantem vidit, coluit, signanter amavit:
Inter id imperii spatium, quæ gesserat, aurô
Conscribenda, sonô laudis celebranda disertô,
Maximus Urbanus, breviter numerare licebit.
Divorum turmis adscivit Nomina clara
Præsulis Andreæ Corsini, & Principis olim
Francisci Socii JESU Generalis in orbe
Præpositi, demum Catharinæ stirpe senensis,
Nec non Elisabeth (quam noster tertius ordo

Indi-

Indicat esse suam, Lusitania prædicat Almam
Reginam mira semper probitate serenam)
Martyriô nitidos in Japonensibus oris
Cum Duce Baptista Petro baptisma cruoris
Viginti & trinos dirè ac patienter adeptos,
Ac Avellinum pretiosi Velleris Agnum
Andream cætus Tyenæi Nobile Sydus;
Tum Cantalitii Philomelam fausta canentem
Fratrem Felicem, sensit dixitq; Beatos.
Pupillis, Viduis, alienoq; ære gravatis,
Ægris, pauperibus, nummos & fercula misit,
Comiter Urbani mensuram nominis implens:
Claustra, sacras ædes, xenones, Collegia per se
Vel per Prælatos alios, gratanter adivit,
Ut bene prospiceret statibus cernentibus urbem;
Pro prece fundenda in Templis insignibus horas
Indixit denas ductas quater, Alma deinde
Ætas donorum quando refloruit orbi,
Hâc plenâ & celebri concessit suaviter uti.
Externô quocunq; fuit posita morante,
A propriis ovibus distante Antistite Roma,
Officium curare boni Pastoris eidem
Commissoq; gregi mandavit adesse frequenter,
Urget enim servos Domini præsentia, Natos
Patris, Discipulos Dextri probitate Magistri,
Ad grandi & celeri passû meliora sequenda;
Ac Mens Supremi Capitis sit tuta serena,
Sic pro Animabus agens Urbanus, amorem
Atquè metum similem sibi conciliâsse refertur,
Archiducis quondam Leopoldi erat Austria Cultrix,

Cesa-

Cæſarei Fratris tunc Cæſare digna gerentis,
Huîc ſacras epulas, demum convivia lauta
Obtulit humanîs complens Divina Maphæus:
Dicat Ager, quem læta tenet Bononia, quantâ
Arce per Urbanum ſtructâ reſplendet, apertum
Dent arces aliæ documentum, quomodo lapſum
Deſeruêre ſuum, redeundo ad priſtina Valla.
Sed placet ad laudes Domini ſuperaddere Papæ,
Illud munimen noſtri fulcrumq; quòd arcta
Regula Franciſci fuerit ſolidata per Ipſum,
Italiæ tellus viginti tresq; recenſens
Cuſtodes actû paupercula membra regentes,
Veros Pontificis juſsû eſt venerata Miniſtros;
Inter eas adſcita manens Cuſtodia bina
Noſtra Polona ſimul facta eſt Provincia duplex.
Poſt ſex atque decem centenos fluxerat annus
Ultra triginta nonus fauſtiſſima gignens
Æva Reſormatis, larga benedixit eisdem
Papa manû, crevêre ſtatim, creſcuntq; per orbem
Diffuſi, ſtabilita tenent cœnobia, primùm
Hôc Barberinô civiliter atquè benignè
Munus agente ſuum, barbatus ſtrictior Ordo
Canus & humanus Comisq; apparuit, Illi
Semper ut Urbano figenti exordia pulchra
Obſtrictus fuerat, fietq; ſequentibûs annîs,
Laudibûs Octavum nitidis celebrabit ut octo.

TER-

TERTIA
ALMÆ Reformatæ PROVINCIÆ MEDIOLANENSI pro Patre ALEXANDRO PATAVINO.

Urbs pedementanos inter finesq; Venetos
Principiîs antiqua ſuîs, Gentilibûs & mox
Hæreticîs imbuta fuit, Manichæus ibidem
In manibus fædæ portabat toxica ſectæ
Inficiens animas; probroſus Arator Arius
Intulit errorum non uni ſemina cordi.
Hos Apis Hyblææ Subtilis aculeus intus
Attigit, Illa ſuô ſacer eſt Ambroſius ore
Mediolanenſis Præſul, qui ſuaviter atque
Acriter ad Chriſtum cæcos deduxerat hircos;
Paſtor Arianus tenebras Auxentius auxit,
Is radiîs veræ fidei diſperſit easdem,
Auctorem binum, rectum, noxisq; malignum
Adſcribi docuit debere bonisq; malisq;
Actibus ac rebus Manichæus peſſimus ipſe,
Libertate hominem privavit, carne fruendo
Totum corporeum nil Spirituale tenebat
Et tamen æternas cauſas confinxerat eſſe:
Principii natura mali quòd crimina gignat
Fervidus aſſeruit, flammîs ſine fine cremandus,
Proh dolor! Excellens illi Auguſtinus adhæſit,
Errores pravos linguâ calamoq; ſequtus,
Eloquiô quantum Mellitus Epiſcopus egit,
Tolleret ut tabum, propulsaretq; venenum,

Splen-

Splendida Doctorum Solis conversio monstrat,
Lumen ad exortum Christi sacra munera dantis:
Indicat & populus stygia caligine quondam
Mersus, & ad lucem rediens, cognoscere discens
Ens Unum mala permittens, bona cætera causans,
Sic Millanensis doctrina Antistitis Ægros
Sanavit, cæcos effecit cernere Cælum.
Maximus urbis honor, decor, est Ambrosius Unus
Conregnansq: Ipsi Boromæus Carolus Alter
Præsuleô clari zelô, Gervasius autem,
Ac juxta carnem Frater Protasius ejus,
Pergama martyriô pridem tinxêre cruentô:
Mediolanensi de stirpe fuêre secundus
Dictus Alexander, Ternusq; Urbanus, & ambo
Quarti cum Cælestino Pius, additus illis
Sub decimi quarti fulgore Gregorius, omnes
Summi Pontifices Romam, glebamq; paternam
Ac totum cinxêre suis virtutibûs orbem:
Aram Majorem Cathedralem Papa sacravit
Martinus quintus, Boromæus Nobile Templum
Totum divitiis plenum retinendo dicavit.
Inter Oliveti Patres (quos Regula Divi
Abbatis celebris Benedicti nectit) & inter
Multiplices JESU Socios Clerumq; micantem,
Præcipuô gaudet claustrô Provincia nostra
Exornans urbem, splendensq; nitoribûs urbis:
Viderat in gradibus generalibus Ordinis ortos
Quinquè suos natos, plures visura locandos
Noster Alexander, quô non potitus honore
In terris, illô meliorem cæpit in astris;
Sed tamen omne suô cursû generaliter egit,
Dum

Dum gratam Sobolem propriæ de Viscere Matris
In lechicis Heros felix effuderat arvis.
Noster hyperboreus Semptemtrio gaudia sep-
tem
Participans, illum septeno flore coronat,
Filia quæ quadruplex nunc est Provincia in isto
Regno, respiciens Genitricem prole beatam,
Mediolanensi mediôq; favore repletam,
Perpetuis devincta modis cum laude quadratum
Affectûs, cultûs, pietatis, nuncupat ipsi.



 QUAR-

QUARTA
INCLYTÆ DOMUI BUŁACOVSCIANÆ pro Patre BENEDICTO BUŁAKOVSKI.

Par Generis fulgore Domus Bułacovscia cunctæ
Distinctæ lechicæ stirpi, virtutibus ampla,
Justitiæ, fidei, legis, tum Regis Amatrix,
Majorum meritis nuper præclara suorum.
Unus Adalbertus tituli cum fascibus Hæres
In mentem veniat, qui stemma ZAREMBA paternum
Ingenii, & vitæ probitatis robore fulsit;
Fasciam in insignis DĄMBROVSCIA Barbara Mater
Illi contulerat dotale ligamen honoris,
Fortiter hinc dignas cæpit sibi nectere sortes.
Non hibernus erat, dum Commissarius extans
Bis castris hiberna dedit divisa per æquam
Arbitrii lancem, movitq; in Milite Martem:
Judiciô ternô Regni sublime Tribunal
Ornavit, centena ferens solatia, juris
Vincula perpessis, Generalia Nuntius ingens
Concilia egregiis toties sermonibus unxit,
Illicio fulvi captari noluit auri,
In Patrio commune Bonum rutilante Theatro
Firmiter asseruit, spe nec formidine fractus.
Majoris Lechiæ tria castra Notarius octo

Et denis annis scriptô vim legis habente
Cinxerat, univit discordes, juvit egenos,
Protexit miseros, multis oracula, cunctis
Consilium dederat; ConsorsKOZMINSCIA nomen
Annæ complectens Andream protulit illi
(Quem ni ingratus homo crudeli morte necasset,
Sarmatiæ stirpisq; Decus, Lux, Gemma fuisset)
Et celebrem Natam, quæ dum Victoria vixit,
Famæ & virtutis meruit gestire triumphô.
Hanc sibi Franciscus RADZEVSCIUS inclytus olim
Præfectus Uschovæ, post Succamerarius & Dux
Nobilium Posnæ, statuum Pulcherrima Stella,
Numinis & Patriæ seraphim inflammatus amore,
Arbitriô clarus gestis sensuq; profundô,
Atque Mareschalcus cætûs per vota creare
Libera poscentis Regem, Dexterrimus Ipsô
Electo gaudens (sociavit fædere fidi
Conjugii, sed Grande Domûs & Nominis Aurum
Ad Superos secum in Cymba transvexit avita.
Ast neq; Adalbertus constanter prole virili
Lætatus fuerat, satis est quia vixit ût Æqus
Ac nitidæ probitatis Eques, Posnania Tantum
Pocillatorem coluit, mirata Lycurgum,
Ac consum venerata suum stringebat amore:
Qui post lustra quater tum dena illustria vitæ
Cum binis annis, dum pocula mortis acerbæ
Sumere debuerat, cælesti pane cibari
Prociduo tantùm cupiebat poplite, fractis
Artubus haud parcens, ut parceret Agnus eidem

Suppliciter petiit, quem noxas tollere novit;
Et meruit reperire vias ad ſidera fauſtas.
Sic multis charus, lacrymîs ſignatus ab ipſis
Præſtans in vita, melior moriendo patebat,
Magnificamq; poli tenuit felicior aram;
Illi prælucens blandæ fax prima juventæ
Noſtrum conceſſit Benedictum cernere Patrem,
Atquè ſui generis latitans jubar iſtud in umbris,
Mors enim Adalberti terno cum Rege Joanne,
Uno Tale Bonum rapiens evenerat annô.
Mitra Premetenſis Ciſtercia nuper adorans
Robertum Abbatem, Nerii cætusq; Philippi
Præpoſitum ad Posnam Michàélem (bina fuêre
Aſtra Domûs) claros ſtudiô ac pietate colebat;
Hos ſimul ac Alios mea penna attingere nitens
Labitur, ut lapsû majora encomia firmet;
Sat Gentilitii mihi ſit meminiſſe Leonis,
Unde Leoninus vel dico Leunculus ungve
Quippe Minor Frater Benedictus traxerat ortum:
Occidit in Patria quòdſi Proſapia Tanta,
Occaſum nullum noſtris in mentibus unquam
Sentiet, immò dies laudis ſine fine videbit.

QUIN-

QUINTA

CELEBERRIMÆ Studiorum UNIVERSITATI CRACOVIENSI pro Patre CYPRIANO GOZDECKI.

A Carodunenſis cara radice Lycæi
Proſpera nunc ævi currunt primordia quinti,
Aſt propter ſtudium Regni decus Utile Genti,
Jam complectuntur florentia ſæcula mille;
Quod Caſimirus enim Magnus Rex cæperat, illud
Maxima cum fructu concludere tempora debet,
Quod Uladislaus Jagello volente, ſub umbras
Mortis abiturâ Regina Hedvige, videre
Perfectum fecit cum fixo lumine ſolem:
Id citra occaſum laudis memorabile lucet.
Floruit Urbanus Quintus, qui Schisma Latinos
Inter & horribiles Græcos compeſcuit, atquè
Divinæ Triadis coluit ſolennia Primus,
A Carolo Quarto Devoto Cæſare Romæ
Stratoris munus retulit, Miſſæq; Miniſtri
Verba Evangelii ſacri pſallentis ad aram:
Is Patriâ Gallus Sorbonam ſicut amavit,
Sic Cracii Claſſes, Collegia trina Lycæi
Corde Sequtus erat, propenſus amando probavit,
Sedis Apoſtolicæ fulſit vi, pondere, lege.
Palladium Lechiæ ſirmatum robore tanto
Pontificis, Regumq; ſimul, Regniq; Senatûs,
Multorum Genitrix apparuit Alma Virorum

Ante

Ante Coronati Casimiri scepta trhonumq;
Sangvineo Marti Affixi scivêre Poloni,
Prælia quid valeant, tormenta, quid arma, quid enses?
Post didicêre suis ad bella Scholastica pennîs
Impelliq; labris mox Troja Domestica novit
Mucronem rutilum & doctam vibrare Minervam,
Purpureis fuerat sapientia chara Monarchis,
Ferreus auratusq; stylus, certamen acuti
Cum telis calami placuêre Potentibus Ipsis:
Inter Sarmaticos Regnantes quinquè, JOANNES
Tertius effulgens, Orientis Fulmen, avito
Magnanimus Scutô celebris Janina vocato
Cum ULADISLAIS, CASIMIRO, & grande gerente
Nomen ALEXANDRO, galeas clypeosq; sciendi
Ex Craciis studiô claris deprompserat arvis.
Si Stanislaus Romano Murice, Mitrâ
Hosius Insignis, Sol Cleri, Schismatis Hostis,
Ac Tridentinæ Synodi Purissima Gemma,
Cordatus Præsul dixit, quòd Nobilis illic
Atque Pius Christi Miles Academicus esset,
Tunc Ars & fortis Mars prædominatur ibidem.
Invictos numerare Duces ex Agmine sacro
Selectos nequeo, mihi pulchra Bireta, Tiaræ
Præsuleæ, nec celsa patent subsellia Cætus
Conchyliati ostrô, latet Ordinis Unio Equestris,
Sit proferre satis, Templis Patriæq; decorem
Hi quia contulerant, fructus cum fascibus amplis
Ediderant, Navim Petri cumulare studebant
Mercibus Utilibus; contemplor maxima quædam;

Ecce

Ecce Capistrano plantam ponente JOANNE
Pro Carodunensi claustro Genitrice Minoris
Observantinæ Sobolis Tercenta dedêre
Nomen Francisci vitæ subjecta Magistri
Præstantesq; Viri de Tantæ flore Palæstræ,
Et jam præ nimio gaudens exclamo stupore!
O Mater fæcunda tuas dum lumine tango
Innumeras proles Collegia, Castra, Domosq;
Religiosorum Cænobia sancta replentes;
Vix est vivificans tenerum cor Spiritus in me:
Arbor Porphyrii fert germina quinque gradatim,
Tu Lignum sacrum sapiens millena recenses.
Frons Tibi compta fuit Noster Cyprianus inhærens,
A te progenitus viruit, vernavit, ut inter
Quinas Doctorum decades ramosa Tuorum
Claruerit Cedrus, dans juri utriq; nitorem:
Hinc pro Juridico Collega stando, dicamus
Id, quòd naturæ positivaq; præcipit Almæ
Lex Matri sacrare, damus pia candida Vota,
Ut cum Messe bona cernas cerealia dona,

SEX-

SEXTA

Seraphicis Patrum tam CONVENTUALIUM quàm OBSERVANTIUM Inſtitutis, pro Incremento Reformationis Noſtræ.

Petro Chryſologo Doctore & Præſule ſancto
Cælitus electo celebris Ravenna, potentis
Ingeniô, virtute, Parens eſt blanda cohortis:
Strozzius exornans meritîs Antonius illam,
Doctrinæ Morumq; rosîs cauſavit odorem
Summis Principibus populi, Magnatibus orbis,
Sic ut Pontificum Regumq; Orator in aulis
Corda ſibi nectens plures tranſegerit annos.
Tandem Divino ſuccenſus Flamine, flammîs
Franciſci flagrare volens, Seraphinus amore,
Religione Cherub, vitâ Thronus atquè Poteſtas,
Enituit Sociis ſedans exempla ſequendi:
Poſt monſtrata viris nitidi documenta laboris,
Ad regimen cætus Generale Vicarius arcti
Iverat, aſt breviter gradiens contempſit honorem,
Subjectusq; manens Prælatis culmina rurſum
Attigerat, Noſtris quà Commiſſarius ingens
Fratribus impoſitus, fatîs moderamen eorum
Clauſerat (ùt vivum coluit Varſavia, ſic &
Defuncto tribuit ſolennia juſta favente
Nobilium Vultu & Præcelſi fronte Senatûs;
Divi Dominici natô Regnantis ad aures
Eloquium mittente ſacrum, tunc ore diſerto

Tu-

Funereum celebrante actum lacrymisq; notante,
Bircovio Claro Fabiano, Fabula non ſit,
Quod refero de fonte bibens Oracula vera)
Strozzius ex proprii derivans Nomine miro
Indigetis fasces, & geſta ſtupenda capeſſens,
Mox mirabiliter plantam hanc excreſcere fecit;
Dulcia Bernardi veſtigia trivit, ab Illo
Incrementa tulit Niveus Ciſtercius Ordo,
Noſter ab hoc Lechicis eſt ſtrictior auctus in oris.
Franciſcanorum decades ſex cogito, verſo,
Et ſenos gradibûs Seniores ſpecto profundè,
Quos à Conventu Nomen ſumpſiſſe, Minores
Eſſe tamen Fratres fateor, colo, diligo, ſtringo:
Convenêre iſti Ravennæ ſidere ducti,
Pulchra Reformatæ Primordia gentis & ortum
Cinxerunt ſplendore ſuo, mediamq; dedêre
Feſtivo cum ſole diem Noſtratibus; Ipſos
Obſervantinæ Proli conjungo, Parentis
Divi corpus habent Primi, Primatus in iſta
Debitus ex æquo eſt illis Regione, ſecundos
Angelicæ reficit ſuaviſſima Portio Matris.
Aſſiſii florens Paradiſi Collis Amænam
Unis dat vitam, verùm Indulgentia Major
A Chriſto veniens plenâ generalior omni
Fert fortunatos Aliis cum fructibus annos;
Tertius & Decimus Benedictus Papa ſerenam
Inter utrosq; volens Fratres ſtabilire quietem,
Per Breve QUI PACEM LOQUITUR fulgentia bina
Aſſiſiatenſis telluris Templa, Minorum
Ordinis aſſeruit Matrices, Oſſa ſepulta

Patris

Patris enim ſancti, nec non primordia fauſta
Religionis, ei rribuêrunt pondera legis
Ut Patriarcha Sacer, Superum Regina Maria
Præcipuos propria cultus lucrentur in æde.
Nos licet Alvernæ capiat Mons, attamen ex hoc
Id duplex Venerando Caput, litamus honores
Perpetuos ipſi, vobiſcum fœdus amoris
Pectore firmantes, ſervamus & ore manuq;
Conſocii Chari; Noſtris Augmenta tuliſtis
Fratribus Exiguis, ſed non minuiſtis adauctam
Progeniem veſtram, mox amplificâſtis eandem:
Creſcite, Franciſci ſint ſignum ſtigmata, quòd nos
Cum candore roſas vobis ex Corde dicamus.

PROTESTATIO Auctoris.

Unica Sancta Parens Romana Eccleſia Chriſti,
Judicio ſubſint hæc mea metra Tuo,
Quod ſentis, ſentire volo, quod corrigis, ex nunc
Corrigo, Doctrinæ poſco ſubeſſe Tuæ;
Si Patriarcha Meus Franciſcus & Ordinis Auctor
Se Tibi ſubjecit Progeniemq; ſuam,
Cur miſer unus ego de Religionis Alumnis
Non Tibi ſubſternar? qui Tua juſſa ſequor;
Ne per Lectorem tangar, quia nullus apertè
Humanâ teſtis pro fide Scriptor adeſt,
Noverit ingenuâ volvens mea Carmina mente,
Sensûs in cunctis meminiſſe gravis:
Nam præter veterum monumenta impreſſa Virorum,
Externi ſolis, Sarmaticiq; Poli;
Legi perluſtrans diverſa volumina, nec non
Ordinis Annales, Hiſtoriamq; Domûs;
Hinc bone, chare mihi digneris credere Lector,
Me nil fictitium pandere velle Tibi,
Si quos evertit tinctum fuligine prælum
Verſus, parce typo, corrige, vive, vale.

Ad

M. D. O. M. G. B. V. S. L. O. C. H. SS. OO. noſtri Patronorum æviternam venerationem.

ELENCHUS

Rerum hoc Opusculo contentarum Primus numerus librum vel Hecatomben, secundus verò paginam designat.

A.

Ale-

Craco-

G.

H.

N.

N

O.

T.

V.

V.

Z.